



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio IV. De invisibilitate Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

est creaturas plures & plures, ac perfectiores & perfectiores in infinitum esse possibiles. Quia cum perfectio divina sit infinita simpliciter, & in genere entis, potest plus & plus, ac perfectius & perfectius in infinitum participari. Vide S. Th. art. 5.

Quæst. 2. Utrum Deus ea, quæ facit, possit facere meliora tam substantialiter, quam accidentaliter.

R. Non posse facere meliora substantialiter, quia essentia rerum consistunt in indivisibili: unde nihil illis addi, nihil detrahi potest: ac posse facere meliora accidentaliter: nam v. g. hominibus & Angelis posset conferre plura & maiora dona supernaturalia, quibus accidentaliter perficerentur. Sunt tamen quadam creatura, quæ in aliquo genere non possunt fieri meliores. Sic humanitas Christi non potest uniri meliori personæ; B. Virgo non potest esse mater melioris filii, &c. Vide S. Th. a. 6.

DISPUTATIO V.

De Invisibilitate Dei.

ARTICULUS I.

Utrum possibile sit Deum videri visione corporea.

RESPONSIO.

Impossibile est Deum videri visione corporea. S. Th. q. 12. a. 3.

Prob. contra Antropomorphitas, 1. Autoritate S. Augustini. Nam Epist. 6. quæ est ad Italicam viduam, docet Deum esse quidem lucem, sed quæ solis oculis mentis purgatæ, nullatenus verò oculis corporis percipi potest. Unde in altera vita, ubi mentes erunt purgatæ, videbitur Deus oculis mentium, quamvis illis in hac vita, in qua mentes nondum purgatæ sunt, nec videatur, nec videri possit. At neque in hac, neque in altera vita eum videre possunt oculi corporis. *Deus lux est, inquit, sed lux mentium purgarum, non istorum corporis oculorum.* Erit ergo tunc (in celo) mens idonea, quæ illam lucem videat, quod nunc videndum non est. Hoc autem oculis videre corporis neque nunc potest, neque tunc poterit. Sic autem, ut huius impossibilitatis rationem reddat, prosequitur: *Omne quippe quod oculis corporis conspici potest, in loco aliquo sit necesse est, nec ubique sit totum, sed minore sui parte minorem locum occupet, & maiore maiorem.* Non ita est Deus invisibilis & incorruptibilis, qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem, quem nemo hominum vidit, nec videre potest. Per hoc enim videri ab homine non potest, per quod videt homo corporeus corporea.

Ex quibus argumentor sic, ad mentem S. Doctoris. Tam impossibile est Deum videri oculo corporis, quam impossibile est eum non esse ubique totum, & ita esse in loco, ut una sui parte minorem minorem, maiore verò maiorem loci partem occupet. Atqui hoc absolute impossibile est, ut patet ex dictis de immensitate & simplicitate divina. Ergo absolute impossibile est Deum videri oculo corporis. Unde Deus tam est invisibilis oculo corporeo, quam incorruptibilis est; & eatenus lucem inhabitat homini omnino inaccessibilem, quatenus illum homo videre omnino non potest per organum corporeum, per quod non nisi corpora, & formaliter in loco extensa, atque diversis loci partibus secundum diversas sui partes correspondentia, percipere potest.

Præterea, Deum tam invisibilem esse organo corporeo, quam incorruptibilem, docet expressè S. Augustinus, epist. 112. ad Paulinam, Nam in ea hæc habet: *Sicut videntur ista, quæ visibilia nominantur, Deum nemo vidit unquam, nec videri potest, quoniam lucem habitat inaccessibilem, & est natura invisibilis, sicut incorruptibilis, quæ contextim posuit Apostolus dicens: Regi autem seculorum invisibili, incorruptibili: quia sicut nunc incorruptibilis, nec postea corruptibilis, ita non solum nunc, sed etiam semper invisibilis.* Igitur secundum mentem S. Augustini, tam impossibile est Deum videri oculo corporis, quam impossibile est

eum corrumpi; & interprete S. Augustino; hæc est mens Apostoli, cum ait, *Regi autem seculorum invisibili, incorruptibili.* Atqui absolute impossibile est Deum corrumpi. Ergo, &c. Et verò secundum S. Augustini principia, invisibile & incorruptibile convertuntur in substantiis. Nam hoc est S. Doctoris principium, quod ea omnis & sola substantia videri possit oculo corporeo, quæ habet partes, quarum aliæ minores minorem, & aliæ majores maiorem loci partem occupant. Unde manifestè sequitur, quod omnis substantia visibilis oculo corporeo, sit corruptibilis, & vicissim; quia substantia corruptibilis dicitur ea, quæ perire potest per dissolutionem partium. Item quod omnis substantia invisibilis oculo corporeo, sit incorruptibilis, & vicissim: quia substantia incorruptibilis dicitur ea, quæ quia simplex est, & caret partibus, non potest definere per partium dissolutionem. Pari ergo gradu apud Augustinum incedunt invisibilitas corporea & incorruptibilitas; & in principis Augustini Deus æquè est invisibilis oculo corporeo, ac incorruptibilis; proindeque summa necessitate invisibilis oculo corporeo, sicut est summa necessitate incorruptibilis.

Prob. 2. Potentia vitalis non potest elevari ad operandum vitaliter, nisi intra latitudinem objecti sui. Atqui Deus non continetur intra latitudinem objecti oculi corporei. Ergo, &c. Minor constat. Nam objectum adæquatum oculi corporei est lux materialis, & color. Deus autem non est lux materialis, neque color. Tota ergo difficultas est in maiore, quæ sic probatur. Quia ens quodlibet elevari non potest ad quidlibet, sed solum quodlibet ens potest elevari ad id, ad quod habet quandam inchoationem potentiae, quæ perfici & compleri potest, vel intrinsecè per aliquid à Deo productum, & inherens enti; vel extrinsecè per externam, quamvis intimam maximè assistentiam omnipotentiae divinæ. Quid enim aliud est, ens ad aliquid elevari, quam inchoatam ejus ad aliquid operandum potentiam perfici & compleri? Atqui potentia vitalis neque perfectam, neque inchoatam potentiam habet ad operandum vitaliter, nisi intra latitudinem objecti sui. Quis enim vel somnari potest v. g. in visu esse inchoatam facultatem audiendi, gustandi, &c. aut in auditu esse inchoatam facultatem videndi, olfaciendi, &c. Ergo, &c.

Confirmatur. Potentia visiva, qua talis potentia vitalis, est potentia perceptiva talis impressionis factæ in tali organo. Ergo non potest elevari in ratione talis potentiae vitalis, nisi elevetur in ratione potentiae perceptivæ talis impressionis, factæ in tali organo. Atqui non potest elevari in ratione potentiae perceptivæ talis impressionis, factæ in tali organo, nisi in ordine ad perceptionem lucis & coloris; cum talis impressio, facta in tali organo, essentialiter ordinetur ad percipiendum lucem & colorem; & quandoque talis talis organi commotio, absolute repugnat per illam aliud percipi, quam lucem & colorem. Ergo potentia visiva non potest elevari in ratione potentiae vitalis, nisi in ordine ad perceptionem lucis & coloris; & consequenter non potest elevari, nisi ad videndum corpus lucidum, vel coloratum, cujus visio vires ejus naturales superat. Atqui Deus neque lucidus est, neque coloratus. Ergo, &c.

Obj. 1. Scripturam. Job. c. 19. dicitur: *In carne mea videbo Deum meum*, Et c. 42. *Auditui auris audivi te. Nunc autem oculus meus videt te.* Et Isaia c. 6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum.* Et 1. Cor. c. 13. *Videmus nunc per speculum, in enigmate: tunc autem facie ad faciem.* Et 1. Joan. c. 3. *Similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.* Et Matth. c. 5. *Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.* Ergo Deus videri potest, & videtur oculo corporeo. N. conseq. Nam

R. ad 1. Locum, cum S. Thoma ad 1. Cum dicitur, *In carne mea videbo Deum: non intelligitur, quod oculo carnis sit Deum visurus, sed quod in carne existens post resurrectionem, visurus sit Deum.* Idem respondet S. Augustinus lib. ult. de Civ. c. 29. ubi rectè observat Jobum non dixisse, per carnem meam, sed, in

sed, in carne; & si dixisset, per carnem meam, adhuc scire explicatum iri de visione corporea, non substantia divina, sed humanitatis Christi. *Resurrectionem quidem carnis*, inquit, *sine dubio prophetavit; non tamen dixit, Per carnem meam. Quod quidem si dixisset, posset Deus Christus intelligi, qui per carnem in carne videbatur. Nunc vero potest & sic accipi, In carne mea videbo Deum, ac si dixisset, In carne mea ero, cum videbo Deum.*

R. ad 2. 1. Cum S. Thoma & S. Augustino locis proximè laudatis, Jobum intelligi posse de oculo mentis & cordis. 2. Aptius fortasse intelligi de clara cognitione providentia divina, parata per novum experimentum, quod mirabilis illius erga se dispositionis fecerat. Multa, inquit Job, de providentia tua audiveram, nunc verò illam, mirabilis illius erga me dispositionis experimentalis cognitione, tam clarè agnoscere existere, ut ipsis meis veluti oculis illam intueri mihi videar.

R. ad 3. Isaiam vidisse Dominum, quatenus vidit Angelum, locum Dei tenentem, in corpore ex aere assumpto sedentem in folio; nisi tamen quis velithanc visionem fuisse merè imaginariam. Tunc enim Isaias in tantum dicendus est vidisse Dominum, in quantum Deus praesentiam suam ei aliquo modo sensibilem reddidit, in ejus imaginatione formam quandam imprimendo, quae pro Deo supponeret, ipsumque secundum aliqualem modum similitudinis exhiberet. Et hæc videtur esse mens S. Thomæ in Resp. ad 3.

R. ad 4. Illud, *facie ad faciem*, non significare magis, Deum visione corporea visumiri, quam Deum habere corpus & faciem. Itaque per illud, *facie ad faciem*, significatur clara & intuitiva, sed intellectualis, visio Dei in se. *Facies Dei*, inquit S. Augustinus loco proximè citato, *manifestatio ejus intelligenda est*. Quod evidenter probant verba Apostoli subsequenter: nam sic prosequitur: *Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum*. Suadent etiam verba præcedentia: *Videmus nunc per speculum, in enigmate; tunc, &c.* Ex quibus apparet Apostolum loqui de visione, quæ succedit fidei, & est merces illius, proinde perfectior illa est, nosque secundum animam beat. Talis autem non est visio corporea, sed intellectualis, qua clarè intuebimur Deum, quem nunc per fidem non nisi obscure cognoscimus. Hoc docet S. Augustinus Epist. 6. cum ait: *Cum legis: Videmus nunc per speculum, in enigmate; tunc autem facie ad faciem: intellige inde nunc visuros facie ad faciem, unde nunc videmus per speculum in enigmate. Hoc autem utrumque interioris hominis munus est.*

R. ad 5. Apostolum loqui de visione intellectuali, ut patet ex contextu. Dicit enim nos esse visuros Deum sicuti est, & eatenus ei similes futuros esse. At similes erimus Deo secundum animam, non secundum corpus. Ergo videmus eum per oculum mentis, non per oculum corporis. Ita responder S. Augustinus epist. 6. *In tantum ergo videbimus*, inquit, *in quantum similes ei erimus, quia & nunc in tantum non videmus, in quantum dissimiles sumus. Inde igitur videbimus, unde similes erimus. Quis autem dementissimus dixerit corpore nos vel esse, vel futuros esse similes Deo? In interiore igitur homine ista similitudo est, &c.* Ex his pater Responso ad sextum.

Obj. 2. Si oculus corporeus non potest elevari ad videndum Deum, Deus non est omnipotens. Absurdum conf. Ergo, &c. R. n. seq. maj. Nam de ratione omnipotentia non est, ut possit ea quæ contradictionem implicat. Implicat autem contradictionem oculus corporeus elevari ad id, ad quod nequidem inchoatam potentiam habet: cum elevatio creaturæ ad aliquid, nihil aliud sit, quam perfectio & completio inchoatæ potentia, quam habet ad aliquid. At oculus corporeus nequidem inchoatam habet potentiam ad videndum Deum, ut probatum est.

Præterea, visio corporea est essentialiter perceptio lucis & coloris per talem impressionem, in tali organo factam. Ergo tam implicat contradictionem, Deum videri visione corporea, & consequenter oculum cor-

poreum elevari ad videndum Deum, quam implicat contradictionem, Deum esse lucem & colorem. Itaque malè negaretur Deus esse omnipotens, ex eo quod non possit elevari oculus corporeus ad eum videndum; & tam malè, quam si negaretur esse omnipotens, ex eo quod auditus, gustus, & tactus non possint elevari ad eum audiendum, gustandum, & tangendum. Non enim minùs repugnat Deum esse lucem & colorem, quam repugnat eum esse sonum, saporem, corpus; nec minùs vilus corporeus determinatus & restrictus est ad perceptionem lucis & coloris, quam auditus ad perceptionem soni, gustus ad perceptionem saporis, & tactus ad perceptionem quantitatis corporeæ. Unde non minùs implicat contradictionem, Deum videri visione corporea, quam audiri, gustari, & tangi; proindeque non magis est contra rationem omnipotentia, quod Deus non possit videri visione corporea, quam quod non possit audiri, gustari, & tangi. Sic argumentatur S. Augustinus epist. 6. contra nonnullos, asserentes Christum humanitati suæ tribuisse, ut substantiam divinam videret oculis corporis; & qui hoc negarent, negare Deum omnipotentem esse. *Cur solis, inquit, oculis corporeis Christi hoc donum attributum esse contendunt? num etiam ceteris sensibus? Sonus ergo erit Deus, ut possit ejus etiam auribus percipi? Et halitus erit, ut sentiri possit ejus olfactu? ... Et moles erit, ut possit & tangi? Non, inquit. Quid ergo? An illud potest Deus, & hoc non potest? Si non posse dixerint, cur derogant omnipotentia Dei?*

Obj. 3. S. Augustinus lib. 22. de Civ. c. 29. videtur docere beatos in cælo post resurrectionem Deum visuros esse non solum oculo mentis, sed etiam oculo corporis. Ergo, &c. R. n. ant. Sed docet 1. Deum non posse videri in cælo per oculos, quales hic habemus. Unde hic non retractat ea, quæ docuit ep. 6. & 112. *Si enim tantum potuerunt, inquit, in corpore spiritali eo modo, utique etiam ipsi oculi spiritalis, quantum possunt isti, quales nunc habemus, procul dubio per eos Deus videri non poterit.* 2. Et ita, ex hypothesi quod beati in cælo etiam oculis corporis visuri sint, oculos beatorum fore longè alterius potentia, & virtutis longè præcellentioris, hoc est, fore potentia & virtutis notabiliter & specificè diversæ. Nam sic prosequitur: *Longè itaque alterius erunt potentia, si per eos videbuntur incorporea illa natura, quæ non continetur loco, sed ubique tota est. ... vis præpollentior oculorum erit illorum, non ut acutius videant, quem quidem perhibentur videre serpentes vel aquile: quantalibet enim acrimonia cernendi eadem quoque animalia nihil aliud possunt videre, quam corpora: sed ut videant & incorporalia.* Deinde postquam de hac potentia & virtute præcellentiori oculorum in altera vita disputavit in utramque partem, affert modum, quem possibilem, & valdè credibilem judicat, & quidem meritò; quem exponit his verbis: *Fieri potest, valdèque credibile est, sic nos esse visuros mundana tunc corpora cæli novi & terra novæ, ut Deum ubique præsentem, & universa etiam corporalia gubernantem, per corpora quæ gestabimus, & quæ conspiciamus, quaquaverum oculis duxerimus, clarissima perspicuitate videamus, non sicut nunc invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur per speculum in enigmate, & ex parte, ubi plus in nobis valet fides, quæ credimus, quam rerum corporalium species, quam per oculos cernimus corporales. Sed sicut homines, inter quos viventes, motusque vitales exercentes vivimus, mox ut aspiciamus, non credimus vivere, sed videmus: cum eorum vitam sine corporibus videre nequeamus, quam tamen in eis per corpora, remota omni ambiguitate, conspiciamus: ita quacumque spiritalia illa lumina corporum nostrorum circumferemus, incorporeum Deum omnia regentem, etiam per corpora contuebimur. Censet igitur S. Doctor fieri posse, & valdè credibile esse, quod beati in altera vita post resurrectionem oculis suis visuri sint Deum ubique præsentem esse, & omnia regere, sicut nunc oculis nostris videmus homines, quibuscum versamur, vivere. Nunc autem oculis nostris videmus homines, inter quos versamur, vivere, non ipsam vitam oculis*

lis nostris percipiendo, sed illam evidenter summa quadam evidentia iudicando, propter experientiam testimonio sensuum partam. Similiter beati post resurrectionem, propter excellentiam intellectus, oculorum præstantiam, & novum ac longè perfectiorem statum corporum, quocumque circumferrent oculos suos, cum summa quadam evidentia iudicabant Deum existere, ubique præsentem esse, & omnia providentia sua gubernare, & tanta ferè necessitate iudicabant, quanta iudicarent, si ipsissimis oculis suis ipsammet existentiam, immensitatem, & providentiam divinam vitaliter attingerent. Quem modum videndi oculis corporeis Deum, tam verè quàm ingeniosè excogitarum, ut possibilem & probabilissimum, imò ut certum, libentissimè recipimus cum S. Thoma hic in Resp. ad 2.

Denique hoc modo videndi Deum oculis corporeis, alteri, quem inquirendo proposuit, & quo Deus in se videretur per oculos corporeos, ad tantam excellentiam erectos, ut ad vim oculorum mentis peringerent, anteposito; distinguit duos modos, quibus beati post resurrectionem Deum videbunt: unum, quo videbunt illum in se immediatè per oculum mentis; alterum verò, quo videbunt illum in corporibus per oculos corporis, superius explicatum. *Aut ergo, inquit, per illos oculos sic videbitur Deus, ut aliquid habeant in tanta excellentia menti simile, quo & incorporea natura cernatur, quod nullis exemplis, sine Scripturarum testimoniis divinarum, vel difficile, vel impossibile est ostendere. Aut, quod est ad intelligendum facilius, ita Deus erit nobis notus, atque conspicuus, ut videatur spiritus à singulis nobis, in singulis nobis videatur ab altero in altero, videatur in seipso, videatur in cælo novo, & in terra nova, atque in omni, que tunc fuerit, creatura: videatur & per corpora in omni corpore, quocumque fuerint spiritualis corporis oculi acie perveniente directi.*

Dices. Quidquid sit. At S. Doctor non iudicavit oculos corporis non posse elevari ad vitaliter attingendum, & videndum Deum in se. R. dist. Non iudicavit non posse elevari per mutationem merè accidentalem, qua præcisè actiores & perspicaciores fierent, N. ant. Nam sic loquitur: *Vis itaque præpollentior oculorum erit illorum, ex hypothesi scilicet quod vitaliter attingant Deum in se, non ut acutius videant, quam quidem perhibentur videre serpentes vel aquile, &c.* Non iudicavit non posse elevari per mutationem quandam specificam, qua ad excellentem quandam cum mente similitudinem peringerent, qua, ita ut loquar, sic spiritualizarentur, ut idem possent, quod spiritus, in ordine ad percipienda incorporalia, esto. At 1. non iudicavit oculos nostros sic posse elevari. 2. Oculi sic elevati, jam non essent oculi, quales nunc habemus; sed oculi alterius rationis & naturæ. Hic autem disputamus de oculis non mutatis specificè. 3. Oculi sic elevati sunt mera chymera, & hominis non solventis difficultatem, sed ei succumbentis effugium.

ARTICULUS II.

Utrum possibile sit videri Deum visione intellectuali.

Nota. Potest aliquid dupliciter videri. 1. in se: sic videmus amicum præsentem. 2. in effigie, seu similitudine aliqua: sic videmus amicum absentem in ejus imagine, & Deum in ejus effectis. Prima visio est clara & intuitiva: secunda verò abstractiva & obscura; nec est nisi improprie visio: cum visio propriè sit intuitio rei præsentis. Armeni, & recentiores Græci apud Armacanum lib. 15. quaestionum, negant Deum etiam à beatis posse videri in se; proindeque ab illis videri tantum in quadam ejus similitudine, vel luce ab eo derivata, contendunt. In oppositum errorem inciderunt Beguardi & Beguina, dogentes Deum etiam naturaliter ab intellectu

humano videri posse, & animam non indigere lumine gloriæ ipsam elevante ad videndum Deum, & eo beatè fruendum, ut refertur Clementina Ad nostrum de hæreticis. Beguardis & Beguinis præverat Eunomius cum suis, docendo non solum Deum clarè videri, sed etiam comprehendi naturaliter posse ab intellectu creato: nam, ut refert Theodoretus lib. 4. hæreticarum fabularum, *ausus est dicere, se nihil ex rebus divinis ignorare, sed ipsam etiam Dei substantiam exactè scire, eandemque habere de Deo cognitionem, quam ipse de se ipso habet Deus. Hoc ejus furore perciti, qui sunt execrande illius scisse participes, audent aperte dicere, se ita Deum nosse, ut ipse se ipsum. Quod autem visionem & comprehensionem naturalibus viribus partam intelligant, pater ex eo, quod nullius auxilii meminerint.*

RESPONSIO I.

Deus ab intellectu creato videri non potest naturaliter.

Ita S. Thomas q. 12. a. 4. & est de fide. *Prob. autem 1. ex Script. Nam dicitur Rom. c. 6. Gratia Dei, vita æterna in Christo Jesu Domino nostro.* Undè sic argumentatur S. Thomas in Sed contra. Vita æterna est effectus gratiæ elevantis intellectum. Sed vita æterna consistit in visione intuitiva Dei, juxta illud Joan. c. 17. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum.* Ergo visio intuitiva Dei non est ab intellectu sibi relicto, sed ab intellectu elevato per supernaturale auxilium gratiæ, sive per auxilium naturæ indebitum. 1. ad Timoth. c. 6. sic de Deo loquitur Apostolus: *Qui . . . lucem inhabitat inaccessibilem: quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Atqui his verbis Apostolus non negat absolute Deum videri posse: cum 1. Cor. c. 13. tribuat beatis in cælo claram & intuitivam Dei visionem. Superest ergo, ut neget Deum videri posse naturaliter. Ad Scripturæ testimonium accedit expressa definitio Concilii Viennensis sub Clemente Quinto, qua error Beguardorum & Beguinarum anathematizatur, ut patet ex Clem. Ad nostrum de hæret.

Prob. 2. Ratione. Visio intuitiva Dei perfectior est in ratione entis, quàm fides divina, & alii actus meritorii vitæ æternæ. Sed fides divina, & alii actus meritorii vitæ æternæ superant vires naturæ, ut fides docet. Ergo à fortiori, vires illas superat visio intuitiva Dei. Præterea, si Deus ab intellectu creato videri potest naturaliter, reipsa videtur ab omni intellectu creato. Falsum conf. Ergo, &c. Minor patet omnium experientia. Et verò duobus tantum modis cognoscimus Deum in hac vita: uno per creaturas, de quo Apostolus ad Rom. c. 1. & altero per revelationem, de quo idem Apostolus 1. Corinth. c. 13. ubi expressè addit visionem Dei intuitivam non hujus, sed alterius vitæ esse; & 1. ad Timoth. c. 6. dicit nullum hominum in hac vita vidisse Deum; quod etiam attestatur Joannes epist. 1. cap. 4. ubi ait Deum neminem unquam vidisse.

Prob. ergo seq. maj. Quia in hac hypothesi nihil planè deesset, ad hoc ut Deus intuitivè videretur. 1. Nihil deesset ex parte potentie; siquidem ex parte potentie sufficerent vires naturales. 2. Nihil deesset ex parte objecti; siquidem Deus propter suam immensitatem esset semper intimè præsens omni intellectui creato. Nec dic 1. deesse speciem impressam. Cum enim species impressa non sit necessaria, nisi ad vices agendas objecti absentis, aut non intimè præsentis potentie, hic species impressa minimè necessaria esset. Nec dic 2. ne Deus in hac vita videatur intuitivè ab intellectu nostro; impedimento esse sensus corporis, quibus ex lege naturæ animata alligata est, ut nihil possit intelligere sine illorum ministerio. Nam ministerio sensuum non indiget, nisi ad intelligenda ea, quæ sine tali ministerio non possunt illi esse sufficienter præsentia. Se ipsam enim & actus suos intelligit sine ministerio sensuum. Præterea, hoc impedimentum fictitium est. Nam animæ separata, non beatæ, soluta sunt ab illa lege naturæ, qua

qua in hac mortali vita alligantur sensibus, & tamen non vident Deum, ut fides docet. Nec dic 3. deesse concursus Dei. Nam tunc concursus Dei, ad intuitivam ejus visionem necessarius, esset naturalis; nec excogitari potest sufficiens ratio, propter quam sapienter à Deo denegaretur. Superest igitur, ut dicamus Deum à nobis in hac vita non videri intuitivè; quia intellectus noster naturaliter improporcionatus est ad claram & intuitivam Dei visionem in se, propter excessum divinæ perfectionis supra perfectionem cuiuscunque creature intellectualis, ut ait S. Thomas art. citato. Cum enim creatura intellectualis accipiat suum esse, quia est ens ab alio; Deus verò non accipiat, quia est ens à se; inter creaturæ intellectualis perfectionem, & perfectionem Dei, infinita distantia est; & aliunde cum clara cognitio objecti eò difficilior sit secundum se, quò objectum præstantius est, & consequenter eò operosior cognoscenti, quò natura objecti præstantior est natura cognoscentis, quia vis cognoscendi proportionatur naturæ cognoscentis; necesse est, ut quilibet intellectus creatus, sibi relictus, sit omnino improporcionatus ad claram Dei cognitionem, quæ in ejus intuitiva visione consistit, & hæc clara Dei cognitio soli intellectui divino naturaliter possibilis sit. Huc pertinet illud ab Apostolo 1. ad Timoth. c. ult. de Deo dictum, *Qui lucem inhabitat inaccessibilem*, omni scilicet creaturæ, viribus suis relictæ; inaccessibilem autem propter infinitam distantiam, & excessum infinitum perfectionis increatæ supra quamlibet creaturæ perfectionem.

RESPONSIO II.

Intellectus creatus elevari potest ad videndum, & Beati re ipsa in cælo vident clarè & intuitivè Deum in se. Est de fide.

Prob. 1. ex Script. Dicitur enim Matth. c. 18. Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei. Et 1. Cor. c. 13. Videmus nunc per speculum in enigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum. Et 1. Joan. c. 3. Scimus quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est. Quæ Scripturæ testimonia, sicut & alia similia, intelligi debent, & ab Ecclesia intelliguntur, de clara & intuitiva visione Dei per oculum mentis. 2. Ex Conc. Flor. in litteris unionis, ubi definitur, animas, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exuta corporibus, sunt purgata, in cælum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum trinum & unum. 3. Ex S. Augustino epist. 6. ad Italicam, in qua sic loquitur in hæc verba Joannis: Scimus quoniam, cum apparuerit, &c. in tantum ergo videbimus, in quantum similes ei erimus... Quis autem dementissimus dixerit corpore nos vel esse, vel futuros esse similes Deo? In interiore igitur homine ista similitudo est, qui renouatur in agnitionem Dei secundum imaginem ejus, qui creavit illum. Et tanto efficiuntur similiores illi, quanto magis in ejus cognitione & charitate proficimus; quia etsi exterior homo noster corrumpitur, sed interior renouatur de die in diem: ita sanè, ut in hac vita quantumcumque profectus sit, longe absit ab illa perfectione similitudinis, quæ idonea erit ad videndum Deum, sicut dicit Apostolus, facie ad faciem. Et inferius: Cum legis, Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc facie ad faciem: intellige inde nos tunc visuros facie ad faciem, unde videmus nunc per speculum in enigmate. Hoc autem utrumque interioris hominis munus est, sive cum in ista peregrinatione adhuc per fidem ambulatur, in qua utitur speculo & enigmate, sive in illa patria, cum per speciem contemplabitur. Pro qua visione postum est, facie ad faciem. Quibus locis S. Doctor probat Deum in cælo à beatis clarè & in se videntum, non corporali, sed intellectuali visione.

Prob. 4. Ratione. Ad illud intellectus creatus elevari potest, ad quod habet inchoatam potentiam. Atqui intellectus creatus habet inchoatam potentiam ad clarè & intuitivè videndum Deum ut in se est. Ergo, &c. Major non habet difficultatem. Manifestum enim est, Deum posse id omne quod non implicat. Non implicat

autem compleri & perfici potentiam inchoatam: alioqui esset & non esset potentia inchoata. Esset, ut supponitur. Non esset, quia quod non potest compleri & perfici in ordine ad posse simpliciter aliquid, non potest dici potentia inchoata ad illud. *Prob. ergo min.* Intellectus creatus habet saltem inchoatam potentiam ad clarè & intuitivè cognoscendum illud omne, quod continetur intra latitudinem objecti ejus specificativi. Atqui Deus continetur intra latitudinem objecti specificativi intellectus creati, quod est verum & intelligibile. Ergo, &c. Major patet ex eo, quòd nulla sit implicancia in eo quòd potentia vitalis quælibet habeat potentiam aut completam, aut saltem inchoatam, ad perfectè percipiendum illud omne, quod intra latitudinem objecti ejus specificativi continetur. Minor verò, quæ sufficienter probata est, adhuc demonstratur ex eo quòd Deus re ipsa ab intellectu creato cognoscatur, quamvis imperfectè & abstractivè per creaturas.

Obj. 1. Clara & intuitiva Dei visio est actus infinitus. Sed repugnat actum infinitum produci à potentia finita. Ergo, &c. R. dist. maj. Clara & intuitiva visio Dei, adæquata ejus cognoscibilitati, est actus infinitus, C. maj. Non adæquata ejus cognoscibilitati, N. maj. & concessa minore, dist. conf. Ergo clara & intuitiva visio Dei, quæ sit adæquata ejus cognoscibilitati, non potest esse à potentia finita, qualis est omnis intellectus creatus, C. conf. Quæ non sit adæquata ejus cognoscibilitati, N. conf. Itaque clara & intuitiva visio Dei, adæquata ejus cognoscibilitati, est infinita: actus enim, quo objectum infinitum cognoscitur, quantum cognoscibile est, non potest non esse infinitus. Unde visio Dei, adæquata ejus cognoscibilitati, non potest esse, nisi ab intellectu increato. At visio Dei, quæ non adæquatur ejus cognoscibilitati, licet sit clara & intuitiva, est actus simpliciter finitus. Unde non repugnat illam esse ab intellectu creato.

Dices. Clara & intuitiva visio Dei, elicit ab intellectu creato, specificatur ab objecto infinito, nempe à Deo. Ergo est infinita. R. dist. ant. Specificatur ab objecto infinito, inadæquatè cognito, C. ant. Specificatur ab objecto infinito, adæquatè cognito, N. ant. & dist. conf. Ergo est infinita secundum quid, C. conf. Infinita simpliciter, N. conf. Itaque clara & intuitiva visio Dei, elicit ab intellectu creato, hoc ipso quòd est clara & intuitiva visio objecti infiniti in omni genere perfectionis, est infinita saltem secundum quid, quatenus hoc ipso constituitur in superiori quodam ordine, ad quem visiones entium finitorum perfectiores & perfectiores in infinitum, nunquam peringere possunt. At quia non est visio objecti infiniti in omni genere perfectionis, ut talis adæquatè cogniti, est finita simpliciter in illo superiori ordine, in quo existit; nulla enim est in hoc ordine assignabilis, qua non possit esse alia major tum extensivè tum intensivè; & ita nulla est possibilis in hoc ordine, quæ non habeat finem tum in extensione tum in intensione virtuali. Hinc apparet objectum increatum clarè & intuitivè, sed non adæquatè cognitum, non specificare claram & intuitivam sui cognitionem, nisi cum aliqua modificatione, ex finito potentie cognoscentis conatu profecta, per quam vis ejus specificandi infinita veluti temperatur, & ex parte impeditur. Unde sit, ut claram illam & intuitivam sui cognitionem, non simpliciter, sed secundum quid tantum infinitè modo explicato.

Dices. Crescente objecto in perfectione, crescit ejus visio. Ergo si objectum crescat in infinitum in perfectione, visio ejus crescit quoque in infinitum. Ergo cum Deus sit objectum simpliciter infinitum, visio ejus est quoque simpliciter infinita, à quocumque tandem intellectu producatur. R. dist. ant. Crescente objecto in perfectione, crescit ejus visio, si adæquatur ejus cognoscibilitati, C. ant. Si non adæquatur, Subdist. Crescit cum certa proportionem quasi quantitativa, N. ant. Sine certa proportionem, C. ant. & dist. conf. Ergo crescente in infinitum objecto, in infinitum quoque crescit ejus visio, si est adæquata ejus cognoscibilitati, C. conf. Si non est adæquata, N. conf. Quia tunc visio non crescit

crefcit cum certa proportionc quafi quantitativa: quod tamen requiritur, ut in infinitum crefcat, crefcente in infinitum objecto. Unde N. fecundam confeq. Quia vifio Dei, elicit a intellectu creato, nunquam adequari potefl cognofcibilitati objecti, & ita nunquam crefcere potefl cum certa proportionc five geometrica, five arithmetica, & ita nunquam potefl efle fimpliciter infinita, quantumvis objectum ejus fit fimpliciter infinitum.

Dices. Vifio intuitiva Dei, elicit a intellectu creato, fuperat in perfectione vifiones creaturarum perfectionum & perfectiorum, ac perfectiores & perfectiores in infinitum. Ergo eft fimpliciter infinita. R. diff. ant. Superat illas divifibiliter & fecundum gradus virtuales five extensionis, five intenfionis, N. ant. Nulla enim vifio Dei, elicit a intellectu creato, habet gradus virtuales, five extensionis; five intenfionis fine fine; cum nulla fit poffibilis, quæ ab alia fuperari non poffit tum in extensione, tum in intenfione virtuali. Superat illas indivifibiliter, feu fecundum gradum fpecificum indivifibiliter fumptum, ad cujus excellentiam pertingere non poffunt vifiones creaturarum perfectionum & perfectiorum, ac perfectiores & perfectiores in infinitum, ficut Angelus v. g. fecundum gradum fpecificum indivifibiliter fumptum, fuperat entia purè materialia plura & plura, ac perfectiora & perfectiora in infinitum, C. ant. & N. confeq. quæ non magis valet, quam ifta: Subftantia Angelii fuperat in perfectione entia materialia plura & plura, ac perfectiora & perfectiora in infinitum; Ergo eft fimpliciter infinita.

Dices. Vifio increata Dei eft fimpliciter infinita, quia fuperat omnes creaturarum vifiones poffibiles. Ergo fimiliter vifio Dei, ab intellectu creato elicit, &c. R. vifionem increatam Dei efle fimpliciter infinitam, quia fuperat divifibiliter, & fecundum gradus virtuales tum extensionis, tum intenfionis infinitos, omnes vifiones poffibiles creaturarum: cum enim fit adequata cognofcibilitati objecti, habet infinitam evidentiam illius, & confequenter clarè & diftinctè attingit omnes gradus virtuales perfectionum illius, qui funt fine numero, fimulque clarè & diftinctè extenditur ad omnia poffibilia, quæ funt fimpliciter infinita. Unde eft virtualiter extenfa & intenfa fine fine; & ita tum fecundum extensionem, tum fecundum intenfionem virtuales, infinito fimpliciter exceffu fuperat vifiones perfectiores ac perfectiores creaturarum perfectionum & perfectiorum, quantumcumque multiplicentur. Hoc autem dici non potefl de vifione creata Dei. Unde N. confeq.

Obj. 2. Nulla eft proportio inter Deum & intellectum creatum. Ergo intellectus creatus non potefl elevari ad videndum Deum. R. diff. ant. Nulla eft proportio quantitativa, aut quafi quantitativa, C. ant. Quantitas enim virtualis finita nullam habet proportionem cum quantitate virtuali infinita, ficut quantitas formalis finita nullam haberet proportionem cum quantitate formali infinita: finitum enim præ infinito nihil eft in ratione quanti. Nulla eft proportio habitudinis, qualis reperitur inter potentiam & objectum, N. ant. Nam 1. intellectus creatus habet ex fe completam proportionem habitudinis cum Deo, ut abftrahivè cognofcendo per creaturas. Unde, ut patet experientia, potefl etiam naturaliter, feclufis impedimentis, fic cognofcere Deum. 2. Habet inchoatam proportionem habitudinis cum Deo, ut clarè intuitivè cognofcendo; quia Deus continetur intra latitudinem objecti ejus fpecificativi.

Obj. 3. S. Chryfoftomus pluribus locis afferit intellectum creatum non poffe elevari ad videndum Deum intuitivè ut in fe eft. Nam 1. homil. 14. in Joan. negat Angelos beatos videre Deum. Idem negat de illis, hom. 3. de incomprehenfibili Dei natura. 2. Hom. 14. in Joan. jam citata, exprefle ait, quod folus ipfum, (Deum Patrem) videt Filius & Spiritus fanctus. R. S. Chryfoftomum his locis, & aliis fimilibus, loqui de vifione Dei intuitiva, non qualicumque, fed perfecta & comprehenſiva, quam jure merito Angelis beatis

denegat, & tribuit ſolis Perſonis divinis. Quod autem his locis & aliis ſimilibus loquatur de ſola vifione Dei perfecta & comprehenſiva, patet 1. ex eo quod ibi diſputet contra Anomæos, qui audebant aperte dicere, ſe ita Deum noſſe, ut ipſe ſe ipſum. 2. Ex eo quod alibi poſſibilitatem vifionis intuitivæ Dei non comprehenſivæ diſerte agnoſcat, eamque Angelis & hominibus beatis tribuat, ut in paræneſi 1. ad Theodorum lapſum, c. 7. ubi ſic loquitur, verba illa Petri, Bonum eſt nos hic eſſe, exponens. Quid dicemus, quando regis cubiculis adaperſis, intueri licebit ipſum regem, non per ſpeculum, nec per enigma, ſed facie ad faciem: non amplius, inquam, per fidem, ſed per ſpeciem? Itaque nego objectionem.

Obj. 4. Alios Patres, videlicet Cyprianum lib. de vanitate Idolorum. Hic, inquit, nec videri poteſt, viſu clarior eſt: nec comprehendi, tactu purior eſt: nec eſtimari, ſenſu major eſt. Et ideo ſic eum digne eſtimamus, dum ineflimabilem dicimus. Ambroſium lib. 1. in Lucam c. 1. Quid de hominibus loquimur, cum etiam de ipſis cæleſtibus virtutibus & poteſtatibus legerimus, quia nemo Deum vidit unquam? Cyrillum Hieroſol. cathecheſi 6. Admonet nos infirmitatis noſtræ Dominus, dicens: Deum nemo vidit unquam. Quæ Scripturæ verba etiam ad Angelos pertinere, ibidem docet. Hieronymum in Comment. c. 1. Iſaiæ. Licet faciem Domini juxta naturæ ſue proprietatem nulla videat creatura. Et Theodoretum in Dialogo, Immutabilis, in quo ſic loquitur Orthodoxus: Divinam naturam invifibilem eſſe dicimus. dico ego, nec ab Angelis videri poteſt divina natura. ſic ergo de Angelis intelligamus, audientes quod ſemper vident faciem Patris veſtri. Non enim vident divinam ſubſtantiam, quæ nec circumſcribi, nec comprehendi, nec mente percipi poteſt, & quæ univerſa comprehendit; ſed ſpeciem quandam ipſorum naturæ accommodatam. Denique ſic contra hæreticos negantes Incarnationem argumentatur. Deus filius viſus eſt in terra ab Angelis. Atqui ab illis nec viſus eſt, nec videri potuit ſecundum ſubſtantiam divinam. Ergo ab illis viſus eſt ſecundum humanitatem aſſumptam. His omnibus addi poteſt Gregorius Nyſſenus, qui in Oratione 6. de Beatitudinibus, multum in his Scripturæ textibus: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt: Deum nemo vidit unquam: conciliandis laborat.

R. ad 1. Cyprianum loqui de vifione corporea. Quod manifeſtum eſt ex contextu. R. ad 2. Ambroſium loqui de vifione perfecta & comprehenſiva. Nam ſic eodem loco inferius ait: Et ideo Deum nemo vidit unquam, quia eam, quæ in Deo habitat, plenitudinem divinitatis nemo conſpexit, nemo mente aut oculis comprehendit. Quid eſt autem plenitudinem divinitatis conſpicere, niſi divinitatem perfectè & adequatè cognofcere? Unde rectè addit S. Doctor: Nemo mente aut oculis comprehendit. Quod autem homines & Angeli beati claram & intuitivam Dei vifionem, quamvis imperfectam & inadæquatam habeant, aſſerit inferius ibidem. In ipſa quoque reſurrexione, inquit, non facile eſt Deum videre, niſi iis qui corde ſunt mundo: & ideo beati mundo corde, ipſi enim Deum videbunt.

R. ad 3. Cyrillum loco citato agere de ineffabilitate & incomprehenſibilitate Dei, & docere tantum neque ab hominibus, neque etiam ab ipſis Angelis Deum poſſe perfectè & comprehenſivè cognofci. Quid igitur dicat aliquis, inquit: nonne ſcriptum eſt, quod Angeli parvulorum ſemper vident faciem Patris, qui in cælis eſt? Vident ſane Angeli, ſed non ita ut eſt, ſed ſecundum quod eſt, & ipſi capiunt. Ipſe enim Jeſus dicit, Quod Patrem nemo vidit, niſi qui eſt de cælo, hic vidit Patrem. Vident Angeli ita ut capiunt, & Archangeli ita ut poſſunt. ſolus autem Spiritus ſanctus ita, ut oportet, videt: ille enim ſcrutatur omnia, etiam profunda Dei. Et unigenitus Dei filius ita, ut oportet, etiam cognofcit. Vident igitur Angeli, juxta Cyrillum, faciem Patris, qui in cælis eſt; ſed non vident, ut videt Spiritus ſanctus, qui ſcrutatur omnia, etiam profunda Dei; ſed non vident, ut videt Filius, qui videt ut oportet.

ARTICULUS III.

Utrum possibile sit Deum comprehendere ab aliquo intellectu creato.

oportet, hoc est, quantum facies illa visibilis est. Cyrillus igitur Angelis, & hominibus beatis solam denegat visionem Dei, quæ sit adequata ejus cognoscibilitati; & textum illum Scripturæ, *Deum nemo vidit unquam*, intelligit, non de qualibet visione Dei intuitiva, sed de perfecta comprehensiva. Quod amplius patet ex eo, quod adhibet illum, ad probandum, non posse Deum satis dignè laudari à creatura.

R. ad 4. Hieronymum interprete Augustino, epist. 111. ad Fortunatianum, velle tantum verbis citatis Deum oculis corporeis videri non posse juxta naturæ suæ proprietatem, in qua tunc mente videtur, quantum in hac mortali vita videri potest, quando creditur invisibilis esse oculis corporis. *Ne quisquam*, inquit Augustinus, *ista minus intuens, minusque discernens, visibilem (oculis corporeis) Deum vel Angelis, vel hominibus, cum aequales Angelis facti fuerimus, sive nunc esse, sive futurum esse crederet, evidenter, quid sentiret, expressit, dicens: Quod faciem Dei juxta naturæ suæ proprietatem nulla videat creatura, & tunc mente cernatur, quando invisibilis creditur. Unde sufficienter significavit, quando visus est ab hominibus per oculos corporis, tanquam ipse corporeus, non cum secundum naturæ suæ proprietatem visus esset, in qua tunc mente cernitur, quando invisibilis creditur. Quibus invisibilis: nisi aspectibus corporalibus, etiam celestibus, sicut supra de Angelis, & Potestatibus, & Dominationibus dixit, quanto magis terrestribus?* Quod autem Hieronymus senserit Deum oculis corporis, non mentis, invisibilem esse, probat Augustinus ex alio ejusdem Hieronymi loco. Nam sic prosequitur: *Unde alio loco evidentius dicit (Hieronymus) non solum Patris divinitatem, sed nec Filii quidem & Spiritus sancti, quæ una in Trinitate natura est, posse oculos carnis aspicere, sed oculos mentis, de quibus ipse Salvator ait: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Præterea, idem Hieronymus in Commentario illo, qui nobis objicitur, expressè docet, homines beatos clarè & intuitivè viros esse Deum in cælo. *Nunc*, inquit, *in speculo videmus, & in enigmate, tunc autem facie ad faciem, quando de hominibus in Angelos profecerimus, & poterimus cum Apostolo dicere: Nos autem omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam, tanquam à Domini Spiritu.* Quibus verbis, ut notat Augustinus epist. citata, Hieronymus, secundum apertissimam Domini sententiam, etiam ipse sentit, tunc nos viros faciem Dei, cum in Angelos profecerimus, id est, æquales Angelis facti fuerimus. Quamvis autem Apostolico testimonio, quod allegat, satis appareat, non exterioris, utor verbis Augustini, sed interioris hominis faciem intelligendam, cum videbimus facie ad faciem: de facie quippe cordis loquebatur Apostolus, cum diceret: *Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes, &c.* Ne tamen videatur (Hieronymum dico) loqui de visione corporea, addit hæc verba: *Licet faciem Dei juxta naturæ suæ proprietatem nulla videat creatura, ut ex Augustino jam ostendimus.*

R. ad 5. Videri nobis, quod Theodoretus vix ac ne vix quidem excusari possit ab illo errore, quem jure merito Suares intollerabilem nominat, scilicet quod nec homines, nec Angeli beati clarè & intuitivè viros sint Deum, ut in se est: nisi tamen dicatur, omnis visionis nomine intellexisse, non qualemcumque cognitionem, etiam claram & intuitivam, sed solam intuitivam cognitionem objecti, ejus cognoscibilitati adequatam. Quo sane sensu natura divina invisibilis est cuilibet naturæ creatæ, proindeque non solum homini, sed etiam Angelo. Quo sensu argumentum ejus in objectione relatum, valet. Quia Angeli poterant perfectè & adequatè cognoscere humanitatem Verbi incarnati, & nunquam poterunt perfectè & adequatè cognoscere ejus divinitatem.

R. ad 6. Gregor. Nyssenum in conciliandis illis textibus laborare; vel quia intendit illos conciliare in homine viatore; vel quia supponit, nomine visionis, intelligendam esse perfectam & adequatam cognitionem objecti.

Nota 1. Comprehensio dupliciter accipitur. 1. Pro assensione termini. Hoc sensu beati dicuntur comprehensores. Hoc sensu loquitur Apostolus, cum ait 1. Cor. c. 9. *Sic currite, ut comprehendatis.* Et ad Philip. c. 3. *Sequor autem, si quo modo comprehendam.* Hoc sensu loquuntur Patres, cum dicunt non posse comprehendere in via, sed posse in patria. Hoc sensu Deum comprehensibilem esse fides docet, sed de eo hic non agitur. 2. Comprehensio accipitur pro cognitione objecti adequata ejus cognoscibilitati, hoc est, pro cognitione, qua objectum cognoscitur, quantum cognoscibile est. Hic autem agitur de incomprehensibilitate, opposita comprehensioni, hoc secundo sensu acceptæ.

Nota 2. Duplex est objecti cognoscibilitas, intrinseca scilicet, & extrinseca. Cognoscibilitas intrinseca est ea quæ se tenet ex parte objecti, & provenit ex ejus veritate, entitate, perfectione, unde habet, ut possit terminare cognitionem. Hæc cognoscibilitas major est, vel minor, prout objecti perfectio majorem vel minorem habet amplitudinem formalem vel virtualem, sive in ordine ad se, sive in ordine ad connotata extrinseca, sive in ordine ad utrumque. Cognoscibilitas extrinseca est ea, quæ se tenet ex parte potentie cognoscitivæ, à qua objectum extrinsecè denominatur cognoscibile. Hæc cognoscibilitas major est, vel minor, prout potentie cognoscitivæ virtus major est, vel minor. Duplicem hanc cognoscibilitatem expressè docet S. Thomas in 3. dist. 14. q. 1. a. 2. q. 3. ad 3. *Lympiditas intelligendi*, inquit, *non est tantum ex parte intelligibilis, sed etiam ex parte intelligentis.*

Nota 3. Ad comprehensionem objecti non requiritur, ut cognitio adequetur ejus cognoscibilitati extrinsecæ: alioqui nullum objectum creatum comprehendere posset à creatura. Nullum enim objectum est, etiam creatum, quod non habeat cognoscibilitatem extrinsecam infinitam: quia nullum est objectum, quod non cognoscatur à Deo cum infinita claritate. *Quamvis aliqua res*, inquit S. Thomas loco proxime laudato, *ab anima Christi sciatur secundum omnem suam cognoscibilitatem (intrinsecam) tamen melius cognoscitur ab ipso Deo quantum ad modum intelligentis, eo quod minimum intelligibile intelligat claritate infinita.* Ad hoc igitur, ut aliqua cognitio dicatur & sit comprehensiva, requiritur & sufficit, ut sit adequata cognoscibilitati intrinsecæ objecti, ut docet S. Augustinus lib. 12. de Civ. c. 18. & adhuc clariùs epist. 112. ubi sic loquitur: *Aliud est videre; aliud est totum videndo comprehendere: quandoquidem id videtur, quod præsens utcumque sentitur: totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem, aut ejus fines circumspici possunt.* Idem expressè docet etiam S. Thomas in 3. q. 1. a. 2. quæst. 1. in O. *Illud propriè comprehenditur*, inquit, *quod attingitur ab intellectu secundum totam rationem suæ cognoscibilitatis, & hoc est, fines ejus conspici, non quidem rei, quia sic Deus se ipsum non comprehenderet, quia fines non habet: sed quia secundum omnem rationem, qua cognoscibilis est, se ipsum cognoscit, ideo comprehendere se ipsum dicitur. Et quia unumquodque est cognoscibile (intrinsecè) secundum quod est ens; ideo dicta comprehensio contingit, quando adequatur ad essentiam rei efficacia intellectus in intelligendo.* Hinc Angeli rectè dicuntur comprehendere naturas inferiores, quia earum intrinsecæ cognoscibilitati adequatur cognitio angelica, quæ tamen in claritate superatur infinitè à cognitione divina, quæ idcirco rerum omnium creaturarum & creabilium supercomprehensiva cognitio dici potest. His autem præsuppositis, sit

RESPONSIO I.

Deus non potest de potentia ordinaria comprehendere ab intellectu creato.

Est

Est de fide contra Anomæos, qui contende-
bant, Deum etiam ab homine viatore comprehendi naturali-
ter; & contra illos *prob. 1.* ex Scriptura. Nam de Deo
dicitur, Hier. c. 32, *Magnus consilio, & incomprehen-*
sibilis cogitatu. Et 1. ad Timoth. c. 1. *Regi seculorum*
immortali, invisibili. Et c. 6. *Qui solus habet immor-*
talitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem: quem nul-
lus hominum vidit, sed nec videre potest. Et Joan. c. 1.
Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui est in
sinu Patris, ipse enarravit. Et 1. Cor. c. 2. *Spiritus om-*
nia scrutatur, etiam profunda Dei... que Dei sunt, ne-
mo cognovit, nisi Spiritus Dei. Quæ loca Scripturæ pro-
bant incomprehensibilitatem Dei saltem de potentia or-
dinaria. Quod per se manifestum est de aliquibus, &
de aliis probatur ex Patribus, qui ea adhibent ad pro-
bandum, neque ab hominibus, neque ab Angelis, si-
ve in via, sive in Patria Deum comprehendi posse, ut
patet de Augustino episc. 112. De Ambrosio lib. 1. in
Lucam c. 1. De Cyrillo Hier. Catechesi 6. verbis su-
prà laudatis.

Prob. 2. Ex Conc. Later. IV. c. Firmiter, ubi in ter-
minis definitur, Deum esse incomprehensibilem. 3.
Ex S. Augustino serm. 38. de verbis Domini: *Atinge-*
re aliquantum, inquit, te mente Deum, magna beati-
tudo est, comprehendere autem omnino, impossibile.
Pater autem Concilium Lateranense, & Augustinum;
cum aliis Patribus, qui idem magno consensu docent,
ad minimum intelligendos de impossibilitate compre-
hensionis Dei secundum potentiam ordinariam. 4. Ra-
tione. Quia si Deus comprehendi possit etiam de po-
tentia ordinaria, vel in nullo sensu est incomprehen-
sibilis, & sic mentiuntur Scripturæ & Concilia; vel
eatenus incomprehensibilis dici potest, quatenus aut
oculis corporis, aut etiam oculis mentis, nisi per gra-
tiam elevetur, comprehendi non potest; & ita nulla
ratio sufficiens est, cur Patres, & Scholastici cum Pa-
tribus, tanta consensione negent Deum ab ullo intel-
lectu creato, sive humano, sive angelico comprehen-
di; & hoc tam gratis & inconsulte negant, quam si
negarent Deum ab ullo intellectu creato, sive huma-
no, sive angelico videri intuitivè, ut in se est, quia
dicitur in Scripturis Deus esse invisibilis, lucem inhabi-
tare inaccessibilem, à nemine unquam visus esse, &c.
quod de illis tamen absque temeritate affirmari non po-
test. Hoc enim omnino elevarer pondus communis
illius Patrum & Scholasticorum etiam in rebus ad fidem
pertinentibus consensionis. Ergo, &c.

RESPONSIO II.

Nequidem de potentia absoluta Deus comprehendi
potest ab intellectu creato.

Ita tenent communiter Doctores cum S. Thoma q.
12. hic a, 7. in O. ubi sic argumentatur: *Unumquodque*
sic cognoscibile est (intrinsecè) secundum quod est ens actu.
Deus igitur, cuius esse est infinitum, infinite cognoscibilis
est (intrinsecè); nullus autem intellectus creatus potest
Deum infinite cognoscere. In tantum enim intellectus crea-
tus divinam essentiam perfectius vel minus perfecte co-
gnoscit, in quantum majori vel minori lumine gloriæ per-
funditur. Cum igitur lumen gloriæ creatum in quocumque
intellectu creato receptum, non possit esse infinitum, im-
possibile est, quod aliquis intellectus creatus Deum infini-
te cognoscat. Unde impossibile est, quod aliquis Deum
comprehendat. Quia, ut superius dicit eodem loco
S. Doctor, illud comprehenditur, quod perfectè cogno-
scitur. Perfectè autem cognoscitur, quod tantum cogno-
scitur, quantum est cognoscibile (intrinsecè.) Porro
hanc assertionem alii inter Scholasticos volunt esse
etiam de fide, alii verò non posse sine temeritate
negari. Sed

Prob. adduc. 1. Conc. Lateranense IV. uno & eodem
tenore definit Deum esse incomprehensibilem & incommu-
tabilem. Atqui definit Deum esse incommutabilem,
etiam de potentia absoluta. Ergo, &c. 2. Patres, ut
Chrysostomus in homiliis contra Anomæos, & Cyrillus
catech. 6. verbis suprà laudatis, Filio & Spiritui sancto
præ hominibus & Angelis attribunt virtutem compre-
hendendi divinitatem. Ergo sentiunt virtutem hanc esse

propriatatem quarto modo Filii & Spiritus sancti, &
creaturis incommunicabilem. Nam si creaturis com-
municari posset; ad hoc ut ostenderent, Deum neque
ab hominibus, neque ab Angelis comprehendi posse,
ex Scripturis minimè conarentur ostendere, compre-
hensionem essentia divina; ad Filium & Spiritum san-
ctum pertinere. 3. Ut patet ex disputatione S. Atha-
nasii cum Ario, sive hæc disputatio à S. Athanasio
conscripta fuerit, sive non, Patres ex illo Pauli textu
1. Cor. c. 2. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda*
Dei, quo dicitur, Spiritum sanctum divinitatem com-
prehendere, probabant contra hæreticos ipsiusmet Spi-
ritus sancti divinitatem. Ergo sentiebant per illa Pauli
verba attribui Spiritui sancto perfectionem soli Deo
convenientem, & creaturis incommunicabilem. Scie-
bant enim divinitatem Spiritus sancti non posse effi-
caciter probari ex perfectione; quæ Deo & creaturis
communis esse posset, sive de potentia ordinaria, si-
ve de potentia extraordinaria tantum. 4. Cum Patres
dicunt comprehensionem Dei esse impossibilem crea-
turis, hoc dicunt simpliciter & sine addito. Ergo
intelligi debent de impossibilitate absoluta. 5. Nulla
ratio probabilis afferri potest, quare textus Scripturæ
suprà allegati, nec possint, nec debeant intelligi de
incomprehensibilitate absoluta. Ergo gratis de alia
intelligerentur.

5. Ratio à priori est: quia ut cognitio sit com-
prehensiva objecti, requiritur ut adæquet objecti co-
gnoscibilitatem intrinsecam. Atqui nulla cognitio crea-
ta adæquare potest cognoscibilitatem intrinsecam di-
vinitatis. Ergo nulla cognitio creata potest esse divi-
nitatis comprehensiva. Major constat ex 1. & 3. not.
Prob. min. Cognoscibilitas intrinseca divinitatis est in-
finita. Atqui nulla cognitio creata adæquare potest
intrinsecam cognoscibilitatem infinitam. Ergo, &c.
Major non controvertitur. Et verò cum aliquid in tan-
tum sit intrinsecè cognoscibile, in quantum est ens
actu, ut dicit S. Thomas; consequens est Deum ha-
bere intrinsecam cognoscibilitatem infinitam, cum sit
ens in ratione entis infinitum. *Prob. ergo min.* Nulla
intellectio finita adæquare potest cognoscibilitatem in-
finitam. Infinitum enim à finito adæquari manifestè
repugnat. Atqui omnis intellectio creata est essentia-
liter finita. Modus enim operandi sequitur modum
essendi, & omnis intellectus creatus est essentialiter
finitus. Unde ab intellectu creato, quantumlibet ele-
vato, nunquam produci potest, nisi intellectio sim-
pliciter finita, proindeque nullus intellectus creatus
perfundi potest lumine gloriæ infinito simpliciter: nam
in hypothesi infusionis luminis gloriæ infiniti, intel-
lectus posset, & simul non posset producere intel-
lectionem infinitam. Posset quidem, quia intellectus
creatus eò perfectius cognoscit, quò majori lumine
gloriæ perfunditur, ut dicit S. Thomas, & tunc infi-
nito perfunderetur. Non posset autem, quia omnis po-
tentia vitalis creata, utpotè essentialiter finita, est essen-
tialiter ad actum finitum determinata. Ergo, &c.

Confirm. Absolutè repugnat intellectionem creatam
adæquare cognoscibilitatem intrinsecam divinitatis.
Ergo absolutè repugnat divinitatem comprehendi ab
intellectione creata. Conseq. patet. *Prob. ant.* Si in-
tellectio creata adæquaret cognoscibilitatem intrinse-
cam divinitatis, adæquaret intellectionem divinam.
Conf. absolutè repugnat. Ergo, &c. *Prob. 1. seq. maj.*
Nam illa invicem adæquantur, quæ adæquantur uni
tertio. Atqui intellectio creata & divina, perfectè
adæquarentur uni tertio, nempe cognoscibilitati in-
trinsecæ divinitatis: cognoscibilitas enim intrinseca
divinitatis esset utrique perfectè adæquata: nam esset
perfectè adæquata intellectioni create, ut supponitur.
Est autem re ipsa perfectè adæquata intellectioni di-
vinæ; cum nec eam excedat, nec ab ea excedatur.
Ergo, &c. *Prob. 2. min.* Nam si intellectio creata
adæquaret intellectioni divinæ, creatura tam per-
fectè cognosceret Deum, quam Deus ipse: tam ef-
fet omnisciens, quam Deus, & æquaret Deum in ope-
ratione vitali omnium perfectissima: in Deo enim
omnium operationum perfectissima est intellectio,
qua

qua se ipsum cognoscit; & perfectè comprehendit. Atqui hæc omnia repugnant absolute. Et verò omniscientem esse, & se ipsum intelligendo comprehendere, non conveniunt Deo, nisi quia est in supremo & perfectissimo gradu essendi, qui creaturæ, hoc ipso quòd creatura est, absolute repugnat.

Obj. Clara & intuitiva Dei visio possibilis est. Sed clara & intuitiva Dei visio est etiam comprehensio Dei. Ergo, &c. *R. n. min.* Aliud est enim videre, inquit Augustinus epist. 112. aliud est totum videndo comprehendere. Quandoquidem id videtur, quod præsens utcumque sentitur: totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem. Cum igitur intellectus creatus ita Deum videat clarè & intuitivè, ut semper aliquid Dei lateat videntem, potest esse, & est clara & intuitiva Dei visio, quæ non est Dei comprehensio. Quòd autem intellectum creatum, etiam clarè & intuitivè videntem Deum, semper aliquid Dei lateat, docent Patres, ut Ambrosius lib. 1. in Luc. c. 1. ubi ait, neminem hominum vel Angelorum beatorum, qui clarè & intuitivè vident Deum, eam, quæ in Deo habitat, plenitudinem divinitatis conspiciere, & idcirco neminem Deum comprehendere. Ut Augustinus loco proxime citato, ubi illud, quòd scilicet nemo hominum vel Angelorum unquam divinitatis plenitudinem conspexit, nemo comprehendit, ab Ambrosio dictum approbat; quia sanè nemo unquam ita Deum vidit, ut nihil Dei lateret videntem. Ut Cyrillus Hier. catech. 6. ubi sic ait: *Vident sanè Angeli (faciem Patris), sed non ita ut est, totaliter scilicet & adequatè.*

Dices. Intellectum creatum, clarè & intuitivè videntem Deum, nihil Dei latere potest. Necessariò enim videt totum Deum. Ergo comprehendit illum. *R. n. ant.* & ejus prob. Nam 1. dato quòd videns clarè & intuitivè Deum, videat necessariò omnes perfectiones, quæ sunt formaliter in Deo; & saltem non videt, nec videre potest omnes gradus illarum perfectionum. Cum enim perfectiones omnes absolute, quæ sunt formaliter in Deo, & tribus personis communes, sint infinitæ in suo genere, habent omnes gradus virtuales, virtualiter ab invicem distinctos, plures & plures in infinitum, quos proinde omnes ab intellectu creato, etiam clarè & intuitivè Deum videntem, videri impossibile est. Sic impossibile est, ab intellectu creato gradus omnes virtuales sapientie & omnipotentie divinæ videri, etiam si clarè & intuitivè videat ipsum Deum. Alioqui intellectus creatus posset clarè & distinctè cognoscere omnia possibilis, imò omnia omnino quæ Deus ipse cognoscit, & tam perfectè cognoscere, quàm Deus ipse cognoscit: quòd repugnat. 2. Falsum est, quòd intellectus creatus, clarè & intuitivè videns Deum, hoc ipso necessariò videat omnes perfectiones absolute, quæ sunt formaliter in Deo. Nam hæc perfectiones ita sunt una & eadem entitas simplicissima, ut tamen inter se distinguantur virtualiter; & ita una tam possit intuitivè cognosci, non cognita alia intuitivè, quàm una potest abstractivè cognosci, non cognita alia abstractivè. Unum enim non magis repugnat, quàm alterum.

Dices. Visioni intellectuali repugnat esse præcisivam. *R.* hoc esse falsum. Nam visio corporea est præcisiva. Ergo à fortiori visio intellectualis præcisiva esse potest: intellectus enim oculo perfectior est, & ad præcindendum longè capacior. Quòd autem visio corporea sit præcisiva, patet ex eo quòd oculus videns v. g. parietem album, percipiat rationem specificam albedinis, & non percipiat rationem numericam, licet specificè identificatam: nam si divinitus alius paries albus substitueretur, à priore sola ratione numerica diversus, mutationem non perciperet oculus; quam tamen perciperet, si loco parietis albi substitueretur paries niger. Quidni ergo oculus mentis Deum videns, posset percipere unam perfectionem, non percepta alia, quamvis ipsi identificata, & ita unam perfectionem ab alia ipsi identificata præcindere? Item quidni oculus mentis videns Deum, posset percipere unum gradum alicujus perfectionis divinæ, non percepto alio ipsi identificato, sed ab eo virtualiter distincto, & ita unum gradum

Simonnet Theol. Tom. I.

virtualem alicujus perfectionis divinæ ab alio virtuali, virtualiter distincto præcindere?

Dices. Visio intuitiva Dei est representatio Dei, ut in se est à parte rei. Nam visio intuitiva objecti est representatio objecti existentis ut existentis. Ergo visio intuitiva Dei est representatio Dei secundum omnia, quæ sunt in eo realiter identificata, & consequenter non potest videri unum, alio non viso. *R. dist. ant.* Visio intuitiva Dei est representatio Dei, ut est in se à parte rei secundum id, quod de Deo re ipsa representat, *C. ant.* Nam revera, quod de Deo clarè & distinctè representat, tale est à parte rei, quale representatur: quamvis enim representetur præcisivè, nihilominus tale est à parte rei, quale representatur, quia per representationem præcisivam nihil affingitur objecto, quòd non sit in illo; nihil detrahitur, quòd sit in illo: præcisio enim tota se tenet ex parte modi representandi, & tota afficit, non objectum, sed intellectum representantem inadæquatè objectum, in quod mera denominatio extrinseca præcisi resultat ex intellectu illud ita representante. Visio intuitiva Dei est representatio Dei, ut est in se à parte rei, hoc est, est representatio clara & distincta Dei secundum omnes omnino perfectiones, quas habet, omnesque earum gradus & modos virtuales, *N. ant.* Talis enim representatio ad comprehensionem requiritur, non ad visionem, ad quam duo requiruntur, & sufficiunt. 1. Ut objectum clarè & distinctè percipiatur in se, non in alio, hoc est, ut percipiatur per speciem propriam, illud representantem ut in se est, non verò per alienam, representantem illud aliter, quàm in se est; ut si repræsentet illud per modum corporis, cum sit spiritus. 2. Ut objectum clarè & distinctè per speciem propriam percipiatur ut in se est actu & exercitè, ita ut clarè percipiatur secundum existentiam actualem & exercitam, quæ talem, & ita clarè percipiatur, ut hoc ipso, & ex modo percipiendi, absque alio motivo, vel discursu, intellectus certificetur de ejus existentia actuali & exercita, quæ tali. Clarè igitur & intuitivè videtur Deus, hoc ipso quòd percipitur in se, ut actu & exercitè existens à se; ita ut ex ipso modo percipiendi, independenter ab omni motivo extrinseco, & discursu, intellectus certificetur de actuali & exercita Dei existentia à se. Ad comprehensionem verò præterea requiritur clara & distincta perceptio omnium aliarum perfectionum divinarum, omniumque graduum & modorum, quos habent perfectiones divinæ. Porro dixi Deum videri, si clarè percipiatur in se, ut actu & exercitè existens à se: quia nullo modo videri potest, nisi percipiatur secundum actualement & exercitam existentiam, ut talem; nec propriè videri potest ut Deus, nisi percipiatur secundum rationem aliquam, qua distinguatur ab omni eo, quòd non est Deus; & ita nullo modo videri potest, propriè loquendo, nisi clarè percipatur secundum actualement & exercitam existentiam à se, quæ talem, sic ut precisè ex modo percipiendi Deum per propriam speciem, intellectus certificetur de ejus alevitate, ut actuali & exercita.

Dices. Omnis visio Dei est quidditativa: omnis enim intellectio intuitiva est germana rei, ut in se est, cognitio. Ergo omnis visio Dei est representatio omnium, quæ sunt in Deo. Ergo nulla potest esse præcisiva. *R. dist. ant.* Omnis visio Dei est quidditativa vel adequatè, vel saltem inadæquatè, *C. ant.* Adequatè, *N. ant.* & utramque conseq. Itaque omnis visio Dei est quidditativa aliquo modo propter rationem aliam: at non omnis est adequatè quidditativa. Hoc enim soli visioni increatæ convenit: quia sola visio increata Deum totum representare potest, totum, inquam, ut in se est; quia totus Deus, ut in se est, representari non potest clarè & distinctè, nisi per visionem infinitam, qualis præter increatam nulla alia esse potest. Et verò si visio creata Dei esset adequatè quidditativa, Deus ineffabilis non esset beatis, qui vident Deum: posset enim ab illis nominari Deus, nomine adequatè & perfectè exprimente quidditatem ejus: quòd repugnat Patribus. Nam docent Deum & hominibus & Angelis beatis ineffabilem esse, eò quòd non possunt nominare Deum, nisi nomine suæ cognitionis

C

respon-

respondente, & consequenter nisi nomine inaduatè exprimentem quidditatem Dei.

Dices. Cognoscibilitas intrinseca Dei, quæ est vis motiva essentia divina per modum speciei, est indivisibilis. Ergo movere indivisibiliter intellectum creatum ad videndum Deum. Ergo vel movere ad videndum totum Deum, vel nullo modo movere; & consequenter intellectus creatus vel videt totum Deum, vel nullo modo videt. Ergo videns clarè & intuitivè Deum, necessariò videt totum, proindeque nihil Dei latere potest intellectum creatum, videntem clarè & intuitivè Deum. R. dist. ant. Cognoscibilitas intrinseca Dei est indivisibilis realiter, C. ant. Non enim habet partes formales, in quas realiter dividi possit. Est indivisibilis etiam virtualiter, N. ant. Nam habet partes virtuales, virtualiter inter se distinctas, ratione quarum essentia divina per modum speciei, seclusis imperfectionibus, movere potest divisibiliter. Et tam potest, quàm si cognoscibilitas ejus constaret partibus formalibus, realiter inter se distinctis. Itaque essentia divina movere potest intellectum creatum ad visionem unius attributi, non movendo ad visionem alterius; item potest movere intellectum creatum ad videndum unum gradum virtuales unius attributi, non movendo ad videndum alium gradum virtuales ejusdem attributi. Igitur N. omnes conseq.

Dices. Essentia divina per modum speciei, non liberè, sed necessariò movere. Ergo non est ratio, cur dicatur movere potius ad visionem hujus attributi, quàm ad visionem illius; cur dicatur movere potius ad videndum hunc gradum unius attributi, quàm ad videndum alium. Ergo vel movere ad videndum omnia attributa, omnesque eorum gradus; vel nullo modo movere, & consequenter movere indivisibiliter. R. n. ant. Nam essentia divina per modum speciei movet liberè, quia Deus potest motionem essentia divina, ut speciei, sicut & terminationem essentia divina, ut obiecti, restringere, limitare, modicare, cohibere, vel per concursum omnipotentia suæ cum intellectu creato, vel per lumen gloriæ ad has perfectiones, ad hos perfectionum gradus restrictum. Sed ad plenioram hujus difficultatis intelligentiam,

Nota. Cognoscibilitas intrinseca Dei duplex est: una terminativa per modum obiecti; altera motiva per modum speciei. Utraque non est aliud, quàm cognoscibilitas attributorum divinarum, & graduum quos habent. Unde cum attributa divina distinguantur inter se virtualiter, attributa divina habent cognoscibilitates virtualiter inter se distinctas. Similiter cum unumquodque attributum divinum habeat gradus virtuales, virtualiter distinctos, plures & plures in infinitum, sunt in unoquoque attributo cognoscibilitates plures & plures in infinitum, virtualiter distinctas. Unde cum cognoscibilitates virtualiter distinctas, æquivalent realiter distinctis, in ordine ad movendum ad diversas cognitiones, vel ad eas terminandas, manifestum est unum attributum movere posse ad sui visionem, eamque terminare, sine alio; item unum gradum unius attributi movere posse ad visionem sui, & eam terminare, sine alio gradu ejusdem attributi, proindeque cognoscibilitatem divinam nec movere ad visionem, nec eam terminare indivisibiliter, neque repugnare, quod Deus clarè & intuitivè videatur, & non videatur totus; denique mirum non esse, quod intellectum quemlibet creatum, clarè licet & intuitivè videntem Deum, semper aliquid Dei lateat, neque tot perfectiones divinas, vel saltem tot perfectionum divinarum gradus percipiat, quin plures super sint percipiendi, & ita Deus nunquam possit ab illo intellectu creato, quantumlibet elevato, comprehendi. Porro difficultas hæc tenus exposita, & soluta, nonnullis fortasse videbitur aliter resolvì à S. Thoma, cujus responsionem ut exponamus, & cum nostra coincidere ostendamus;

Obj. 2. Beati in cælo reipsa comprehendunt Deum, quem vident intuitivè. Ergo Deus non est incomprehensibilis. R. n. ant. Nam, ut dicit S. Thomas hic q. 12. a. 7. in O. *Illud comprehenditur, quod perfectè cognoscitur: perfectè autem cognoscitur, quod tantum cognoscitur,*

quantum est cognoscibile. . . nullus autem intellectus creatus pertingere potest ad illum perfectum modum cognitionis divina essentia, quo cognoscibilis est. Et ratio est, quia Deus cujus esse est infinitum, infinitè cognoscibilis est. Nullus autem intellectus creatus potest Deum infinitè cognoscere. *Prob.* tamen ant. Beati in cælo ita vident Deum, ut nihil sit ejus quod ab illis non videatur: cum enim videant illum, non per species creatas, sed immediate in se, nulla mediante specie, & sit omnino simplex, totum vident. Ergo, &c. R. 1. Secundum ea quæ a nobis dicta sunt, N. ant. & ejus prob. Sed R. 2. cum S. Thoma ad 2. N. conseq. Quia, ut ait S. Doctor, *non propter hoc Deus incomprehensibilis dicitur, quasi aliquid ejus sit, quod non videatur; sed quia non ita perfectè videtur, sicut visibilis est. unde Augustinus definiendo comprehensionem, dicit, quod totum comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem, aut cujus fines circumspici, vel circumscribi possunt. Tunc enim fines alicujus circumspiciuntur, quando ad finem in modo cognoscendi illam rem pervenitur.*

Dices. Beati, videntes Deum, vident tres personas, & omnia attributa strictè sumpta. Ergo Deum tam perfectè vident, quàm visibilis est. R. negando conseq. & dico, 1. juxta ea, quæ suprà dicta sunt, eos saltem non videre omnia attributa late sumpta, hoc est, omnes gradus virtuales, quos habent attributa strictè sumpta, nempe sapientia, omnipotentia, justitia, misericordia, &c. Dixi, saltem, quia vident quidem omnia attributa strictè dicta, quæ in hac vita per revelationem novimus, & fide divina credimus. At quod omnia omninò videant, quis scit? Nam quis scit, utrum attributa strictè dicta sint finita, an infinita numero? Dico 2. cum S. Thoma, beatos videntes tres personas, & omnia attributa strictè dicta, non videre Deum ita perfectè, sicut visibilis est: quia sicut principium non ita perfectè cognoscitur, sicut cognoscibile est, nisi cum in illo clarè cognito clarè cognoscuntur conclusiones omnes, quibuscum connexionum est, & quæ proinde propter connexionem hanc in eo tanquam in speculo clarè cognosci possunt: ita Deus non ita perfectè videtur, sicut visibilis est, nisi in eo clarè viso clarè videantur omnia, quæ connexa sunt cum ejus attributis, & quæ proinde propter hanc connexionem in illis clarè visis possunt clarè videri. At beati in cælo clarè videntes Deum, non vident in ejus attributis omnia, quæ cum illis connexa sunt, & in illis videri possunt, sicut re ipsa in illis à Deo tanquam in speculo videntur. Non enim beati vident omnia scibilia in sapientia divina, in qua tamen videri possunt, & re ipsa videntur à Deo. Item non vident omnia possibilia in omnipotentia, in qua tamen videri possunt, & re ipsa videntur à Deo tanquam in speculo. Ratio est, quia beati non vident Deum cum infinita claritate. Intellectus enim creatus, ut potè in sua activitate essentialiter finitus, non potest ad infinitam claritatem pertingere. Quia autem ad majorem vel minorem claritatem pertingit circa Deum, prout magis vel minus elevatur, & ad eò majorem pertingit, quod magis elevatur; plura vel pauciora videt in sapientia & potentia divina, prout majori vel minori lumine gloriæ perfunditur, & eò plura videt in sapientia & omnipotentia divina, quod perfunditur majori lumine gloriæ: nunquam tamen pertingere potest ad videnda omnia in sapientia & potentia divina, quæ in illis videri possunt; quia non potest nisi finitè elevari, & ita non potest nisi ad finitam claritatem circa Deum pertingere. Vide S. Thomam hic a. 8. in O. cui non opponitur nisi vocetenus, cum dicimus beatos non videre omnes gradus virtuales sapientia & potentia divina, & ita non videre totum Deum, ut in se est; sic videre Deum, ut semper aliquid Dei lateat videntes, proindeque illos visione sua nunquam adequare intrinsecam Dei cognoscibilitatem, & consequenter Deum esse illis incomprehensibilem. Quod nullo negotio patebit, expendenti responsionem nostram cum S. Thomæ responsione, quam cum nostra libenter amplectimur, & cum S. Doctore libenter dicimus, beatos videre totum Deum, nihil esse Dei, quod non videant, eo scilicet sensu, quod beati videant cum personis divinis omnia attributa strictè dicta, supposito quod
fuit

sint numero finita, nec tamen comprehendere; quia non vident eum totaliter, quia non vident eum, quantum visibilis est, quia non vident in eius omnipotentia, omnia quae in ea videri possunt. Addo autem non videre, quia non vident omnes gradus virtuales, vel si vis, omnes relationes transcendentales partiales, virtualiter inter se distinctas, ex quibus virtualiter componitur.

ARTICULUS IV.

Quibus indigeat, vel non indigeat intellectus creatus ad videndum Deum.

RESPONSIO I.

Intellectus creatus ad videndum Deum indiget lumine gloriæ.

Prob. Intellectus creatus non potest cum solis naturæ viribus videre Deum clarè & intuitivè, ut in se est, ut probatur a. 2. Ergo ad videndum Deum clarè & intuitivè, ut in se est, indiget elevari per auxilium aliquod supernaturale. Atqui supernaturale illud auxilium vocamus, cum omnibus Doctoribus, lumen gloriæ. Ergo, &c. Ita argumentatur S. Thomas hic q. 12. a. 5. in O. Cum, inquit, virtus naturalis intellectus creati non sufficiat ad Dei essentiam videndam, oportet quod ex divina gratia superacrescat ei virtus intelligendi. Et hoc argumentum virtutis intellectivæ illuminationem intellectus vocamus, sicut & ipsum intelligibile vocatur lumen, vel lux. Et istud est lumen, de quo dicitur, Apocal. 21. Quod claritas Dei illuminabit eam, scilicet societatem beatorum, Deum videntium. Et secundum hoc lumen efficiuntur deiformes, id est, Deo similes, secundum illud 1. Joan. 3. Cum apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est. Huc etiam pertinet illud Psal. 25. Apud te est fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen. Apud Deum, & non apud alium, est fons vitæ illius excellentissimæ, quæ in clara & intuitiva Dei visione potissimum consistit: cum solus Deus intellectum nostrum elevare possit ad præstantissimum illum actum, & lumen illud gloriæ nobis infundere, in quo, seu per quod videbimus lumen, hoc est, ipsum, qui hoc ipso rectè lumen vocatur, quod & per se immediate intelligibilis est, & inchoatam intellectus creati potentiam perficiendo & complendo, facit ut clarè & intuitivè intelligatur.

Obj. Lumen illud vel est aliquid intrinsecum intellectui creato, vel aliquid extrinsecum tantum. Neutrum dici potest. Ergo, &c. N. min. Nam si de possibili agitur, intellectus creatus potest ad videndum Deum elevari non solum per aliquid intrinsecum, sed etiam per aliquid extrinsecum, ipsi assistens. 1. Elevari potest per aliquid intrinsecum. Nam sicut possibilis est qualitas seu habitus supernaturalis, à Deo infusus, & intellectui creato inhaerens, quo intellectus creatus intrinsecè compleitur & elevatur ad actus fidei eliciendos; ita possibilis est qualitas supernaturalis, à Deo producta, & in intellectu creato recepta, qua intrinsecè compleatur, & perficiatur inchoata virtus, quam ad videndum Deum habet intellectus creatus. 2. Elevari potest per aliquid sibi extrinsecum. Nam si intellectus noster elevari potest, & quandoque reipsa elevatur ad actus supernaturales fidei per omnipotentiam vi decreti divini sibi applicatam, & paratam supplere causalitatem habitus fidei, ut patet in infideli adulto, qui ad fidem convertitur, & mysteria nostræ religionis credere incipit; quidni etiam per eandem omnipotentiam sibi intimè præsentem, & per decretum divinum applicatam, atque paratam ipsi assistere, supplendo causalitatem luminis creati, ad claræ & intuitivæ Dei visionem elevari possit? Nam omnipotentia sic in æternum applicata intellectui creato, haberet se, seclusis imperfectionibus, per modum habitus, non quidem intrinsecè, sed extrinsecè complementis virtutem ejus, eamque permanenter habitantis in actu primo ad producendam visionem Dei; proindeque ex intellectu creato & omnipotentia sic in æternum ei applicata resisteret unum principium adæquatum, & proximè completum visionis Dei intuitivæ, quam tunc

Simonnet Theol. Tom. I.

intellectus creatus verè eliceret per innatam sibi virtutem, sub omnipotentia divina ipsam confortante & corroborante per actionem purè modificativam, qua illam completeret & elevaret in actu secundo. Imò si qui sunt, qui hac mortali vita nondum defuncti, ad tempus aliquod Deum clarè & intuitivè, ut in se est, vident, hoc secundo modo ad hanc Dei visionem elevati fuisse credendi sunt: frustra enim recurreretur ad qualitatem eis ad brevissimum tempus infusam.

Quod si agitur de eo, quod reipsa fit, dico intellectum beatorum intrinsecè elevari per qualitatem supernaturalem, à Deo infusam, & permanentem inhaerentem, qua perficitur & intrinsecè completur virtus ejus inchoata. Nam 1. intellectus beatorum sic compleitur connaturalius, & connaturalius elicit actum visionis. Unde sicut Deus in hac vita intellectum hominis fidelis instruit habitu fidei, ut connaturalius compleatur ad actus fidei, eosque connaturalius eliciat; ita similiter credendus est in cælo intellectum beatorum lumine gloriæ perfundere, ut sic connaturalius compleatur, & connaturalius eliciat actum visionis. 2. Quia aliquin intellectus beatorum in ordine ad visionem beatificam non esset quoad actum primum perfectior intellectu viatorum; & vis inchoata, quæ cuilibet intellectui creato inest ad Deum clarè, ut in se est, videndum, non perficeretur in cælo. Nihil enim, propriè loquendo, perfici potest, nisi per aliquid in ipso receptum, quo melius se habeat intrinsecè, quàm antea. 3. Ita sentit S. Thomas hic a. 3. & alibi, & cum eo Doctores communissimè contra Durandum. 4. Videtur hoc longè conformius Concilio Viennensi, damnanti Beguardos & Beguinas, asserentes animam non indigere lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum. Solent enim Concilia usurpare verba in sensu proprio; & verba Conciliorum periculosè sumuntur in sensu improprio, nisi gravis adsit causa ea sic accipiendi. Nulla autem ejusmodi videtur adesse causa, cur negetur Viennense loqui de lumine gloriæ propriè dicto, & in sensu S. Thomæ, aliorumque tunc temporis Doctorum, hoc est, de qualitate à Deo infusa, & permanentem inhaerentem intellectui beatorum. Unde Doctores aliqui existimant esse de fide, quod beati ad claram Dei visionem intrinsecè eleventur per qualitatem à Deo infusam, & permanentem inhaerentem eorum intellectui. Alii tamen communius negant. Ratio eorum est, quia Concilia solent id præcisè definire, quod necessarium est ad errores damnandos, intractis iis, quæ sunt inter Doctores Catholicos controversa. Ad damnandum autem Beguardorum & Beguinarum errorem satis fuit, si definiretur intellectus creatum indigere elevatione ad videndum Deum intuitivè, ut in se est, quocumque tandem modo ad id elevetur, sive intrinsecè per qualitatem infusam, sive extrinsecè per omnipotentiam paratam ipsi assistere. Quæ ratio non caret solutione. Quidni enim dici posset Synodus voluisse & Beguardorum errorem damnare, asserendo animam indigere elevatione ad videndum intuitivè Deum, ut in se est, & ex occasione data fideles modum illius elevationis docere, definiendo illam de potentia ordinaria aliter fieri non posse, quàm per habitum à Deo infusum animæ, eique permanentem inhaerentem?

Obj. 2. Non potest dici, quodnam sit officium luminis gloriæ. Nam officium ejus est, vel disponere intellectum ad recipiendam visionem, quæ à solo Deo producatur; vel supplere defectum speciei impressæ; vel producere totaliter visionem, ita ut ab eo solo producatur; vel cum intellectu ad visionem effectivè concurrere; vel denique confortare intellectum, & confortando complere in actu secundo. Nihil horum dici potest. Ergo, &c. R. n. min. 1. Itaque officium luminis gloriæ non est, disponere intellectum ad recipiendam visionem, quæ à solo Deo producatur. Nam visio non recipitur ab intellectu, sed ab eo producitur. Præterea, eam à solo Deo produci, absolutè repugnat. Est enim actus vitalis; & actus vitalis essentialiter pendet à potentia vitali, tanquam à principio elicitive. Unde cum S. Thomas a. 5. in O. nominat lumen gloriæ dispositionem, dispositionem sumit latè pro habitu, quo intellectus habilitatur intrinsecè, & activè disponitur ad elici-

ciendam visionem Dei, ut patet ex contextu. 2. Officium luminis gloriæ non est, supplere defectum speciei impressæ. Quia, ut probabitur, intellectus non indiget specie impressa ad videndum Deum intuitivè, ut in se est. Nam, ut ostendimus, essentia divina se ipsa immediatè præstat, quidquid ex parte objecti requiritur ad claram & intuitivam Dei visionem. 3. Officium luminis gloriæ non est, totaliter producere visionem, propter rationem n. 1. allaram. 4. Officium luminis gloriæ non est, ad visionem cum intellectu effectivè concurrere, propriè loquendo: quia propriè loquendo, actus, quo beatus videt Deum, non efficitur: cum non sit entitas ab intellectu videntis distincta. Unde quoties visionem ab intellectu produci, elici, fieri dicimus, vel aliis æquivalentibus vocabulis utimur, nihil aliud intendimus, quàm visionem esse actionem realem, quæ realiter est ab intellectu realiter agente, licet nullam entitatem realem producente. 5. Igitur superest, ut officium luminis gloriæ sit, confortare intellectum, cui inhæret, ipsumque confortando, inchoatam vim, quam habet, complere in actu secundo, nam formaliter eam complet in actu primo per sui præsentiam; vel si vis, ipsum confortando cum eo concurrere ad viralem perceptionem Dei, ut in se est, claram & intuitivam. Ita sentit S. Thomas q. 12. h. c. a. 5. ad 2. ubi dicit, quod lumen gloriæ requiritur, quasi perfectio quadam intellectus, confortans ipsum ad videndum Deum.

Obj. 3. Lumen gloriæ vel est causa visionis, qua beatus videt Deum, vel non. Quod si dicitur esse, vel est causa totalis, vel partialis tantum. Item vel est causa principalis, vel partialis tantum. Item vel prius influit in visionem, quàm intellectus, vel non. Nihil horum dici potest. Ergo, &c. R. n. min. & dico, 1. esse verè & propriè causam visionis, quia verè & propriè in eam influit, 2. esse causam totalem non solum totalitate effectus, vel quasi effectus, sed etiam totalitate causæ in genere causæ superioris, & principalis, ut modò videbitur. 3. Itaque visionem esse ab intellectu creato tantquam à causa instrumentali & subalternata, à lumine verò gloriæ tantquam à causa principali & subalternante. Nam causa illa dicitur & est causa instrumentalis & subalternata, quæ agit in virtute alterius causæ, ad eandem actionem concurrentis, quæ idcirco dicitur & est causa principalis & subalternans. Atqui intellectus creatus, videns Deum, agit in virtute luminis gloriæ ipsum confortantis, & confortando ad visionem concurrentis: in tantum enim intellectus creatus vitaliter attingit Deum clarè & intuitivè, ut in se est, in quantum virtus ejus de se insufficiens corroboratur à lumine gloriæ, & hac corroboracione perficitur, & completur. Ergo, &c. 4. Denique intellectum creatum ita indivisibiliter & simul actionem temporis influere in visionem cum lumine gloriæ, ut lumen gloriæ prius causalitate, & consequenter prius natura influat. Nam causa principalis & instrumentalis ita simul tempore & indivisibiliter in eundem effectum influunt, ut causa principalis prius causalitate influat, quia causa instrumentalis non agit cum principali, nisi quia principalis agit in ipsam, & ipsam movere ad agendum. Unde actio causæ instrumentalis dependet à causa principali, tantquam à causante illam actione sua, & actio causæ instrumentalis se habet per modum effectus respectu actionis causæ principalis. Igitur prior est actio causæ principalis actione causæ instrumentalis, quod est causam principalem prius causalitate influere, quàm causam instrumentalem. Atqui, ut probatum est, in visione Dei creata lumen gloriæ agit ut causa principalis, intellectus verò ut causa instrumentalis. Ergo, &c.

RESPONSIO II.

Intellectus creatus ad videndum Deum intuitivè, ut in se est, non indiget specie impressa.

Prob. Species impressa est quadam similitudo seu imago objecti, ab ipso objecto, vel à Deo secundum exigentiam objecti impressa potentia, quam docent Peripatetici simul cum intellectu effectivè concurrere ad objecti cognitionem. Atqui ejusmodi similitudo non requiritur ad visionem Dei intuitivam etiam in intel-

lectu creato. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam si requiritur, vel requiritur ut conjungat potentiam cum objecto, seu, quod eodem redit, ut suppleat absentiam objecti, vel ut reddat objectum intelligibile; vel denique ut reddat potentiam objecto proportionatam. Nihil horum dici potest. Non primum. Nam Deus per suam immensitatem est intimè præsens omni intellectui creato, eique intimè conjunctus. Non secundum. Nam Deus propter suam immaterialitatem est maximè intelligibilis. Præterea, summum verum est maximè intelligibile: Deus autem est summum verum. Non denique tertium. Nam intellectus creatus redditur Deo sufficienter proportionatus per lumen gloriæ, quod illum in ordine ad videndum Deum clarè & intuitivè, ut in se est, complet, in actu primo quidem per suam præsentiam; hoc ipso enim quod intellectus creatus habet lumen gloriæ, habet principium ipsius sufficienter confortativum, & consequenter sufficienter elevativum; in actu verò secundo per suam actionem confortativam, sub qua intellectus creatus pro omni instanti reali, pro quo illam habet, se ipsum modificat, vitaliter attingendo Deum clarè & intuitivè, ut in se est.

Obj. Ergo essentia divina supplet causalitatem speciei impressæ in actu, quo Deus à beato videtur. Absurdum conf. Ergo, &c. R. n. min. Nam si species impressa re ipsa concurreret ad visionem Dei creatam, non alio modo concurreret, quàm præsentia sua, exhibendo intellectui objectum videndum. Nihil autem repugnat, essentiam divinam vi suæ immensitatis & immaterialitatis ita se intellectui creato exhibere, quamvis non activè, sed purè objectivè, ut intellectus creatus, habens quidquid ex parte virtutis requiritur, non possit non percipere illam clarè & intuitivè, ut in se est.

RESPONSIO III.

Intellectus creatus non indiget specie expressa ad videndum Deum clarè & intuitivè, ut in se est.

Prob. Species expressa est terminus intellectionis, per intellectionem ab intellectu cognoscente productus, quo intellectus objectum sibi repræsentat, unde idea & imago objecti dicitur: dicitur etiam verbum mentis, quia per illum intellectus sibi ipsi quasi loquitur, & dicit objectum. Atqui talis species non requiritur in intellectu creato ad videndum Deum clarè & intuitivè, ut in se est. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam dato quod omnis intellectus cognoscens exprimat speciem objecti, quod cognoscit, certè nullus exprimit, ut cognoscat objectum, sed omnis exprimit, quia cognoscit. Ergo ant. fide certum est pro intellectu increato. Nam fides docet, in divinis Patrem exprimere speciem sui notionalem, non ut se ipsum intelligat, sed quia se ipsum intelligit. *Prob.* ergo pro omni intellectu creato. Nam expressio imaginis supponit cognitionem prototypi: manifestè enim repugnat exprimere imaginem, incognito planè prototypo. Atqui expressio speciei est expressio imaginis objecti; cum species sit idea & imago objecti. Ergo expressio speciei supponit cognitionem objecti, & consequenter species exprimitur ab intellectu, non ut cognoscatur objectum, sed quia cognoscitur. Unde si intellectus creatus exprimit speciem objecti, quod primum cognoscit, non alio fine ab autore naturæ intento exprimit, quàm ut ejusdem objecti reminisci possit, iterum advertendo ad speciem illius à se aliàs expressam, quæ ex prima illius cognitione in ipsa intellectus substantia remansit. Hinc si intellectus creatus ita objectum aliquod cognoscit, ut ab actuali ejus cognitione nunquam cessare possit, ut contingit in intellectu beatorum respectu claræ & intuitivæ visionis Dei, gratis omnino dicitur aliquam objecti cogniti speciem exprimere; cum hac species sit prorsus inutilis, nec nisi gratis & perperam author naturæ dici possit determinare intellectum creatum, & cum eo concurrere præter exigentiam ejus ad actum prorsus inutilem. Hinc gratis omnino dicitur intellectum beatorum exprimere speciem Dei clarè visi; cum & supponat visionem objecti cujus est species, nec ad reminiscenciam necessaria sit objecti clarè visi & æternum videndi.

Obj.

Obj. 1. Intellectio ut sic nihil aliud est, quam actio expressiva ideæ, & verbi mentalis productiva. R. hoc esse falsum. Nam intellectio divina, præcisè ut intellectio, non est actio expressiva ideæ, aut productiva verbi. Deus enim non intelligit per verbum notionale, & quia producit verbum notionale; sed è contra producit verbum notionale, quia ratione prius intelligit. Itaque intellectio ut sic est actio purè perceptiva objecti, unde est actio purè modificativa intellectus; & intellectio ut sic nihil aliud est, quam abstractum intellectus advertentis purè ad objectum aliquod, & advertendo, se ipsum taliter modificantis purè.

Obj. 2. Omnis actio habet terminum realiter productum. Sed omnis intellectio est actio. Ergo, &c. R. n. maj. quæ falsa est, sic sumpta universaliter. Itaque aliqua actio habet terminum realiter productum, ut creatio. Aliqua habet terminum purè modificatum, ut generatio mixti. Aliqua habet terminum purè cognitum, ut cognitio, quæ Angelus propriam substantiam cognoscit, & visio, quæ beatus Deum, ut in se est, intuetur. Unde visio beatifica est pura vitalis tendentia, pura advertentia, pura perceptio Dei intimè præsentis intellectui, à quo videtur. Est igitur purus modus se habendi intellectus seipso, & non per entitatem à se realiter productam, vitaliter, proindeque activè tendentis in objectum, sibi intimè conjunctum.

ARTICULUS V.

Utrum omnes beati equaliter videant Deum, ut in se est.

NOta. Jovinianus quarto ad finem vergente sæculo docuit, ut refert S. Hieronymus lib. 1. adversus ipsum Jovinianum, omnium, qui suum baptisimum servaverint, æqualem in cælo fore remunerationem & gloriam, proindeque in beatis omnibus æqualem fore Dei visionem. Ita autem sentiebat, quia omnia vitia inter se æqualia, & æquales inter se virtutes omnes, proindeque & merita & demerita inter se æqualia esse, malè inferebat ex malè intellecta parabola evangelica Matthæi c. 20. ubi omnibus laborantibus in vinea Domini datur æqualis merces, nempe denarius diurnus. Eundem errorem amplexus est Lutherus sæculo decimo sexto, ex diverso fundamento. Ita enim iensit, quia putavit omnes homines fieri justos, non per propriam, sed per Christi iustitiam, quæ æqualiter imputatur omnibus, qui credunt; & omnes præmium accipere, non propter propriam, sed propter Christi merita, quæ similiter omnibus, qui fidem habent, ex æquo applicantur. Sed contra illos fit

RESPONSIO.

Beati in cælo non vident æqualiter Deum, ut in se est. S. Thomas a. 6.

Ita docent S. Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum, S. Augustinus lib. de sancta Virginitate, & S. Thomas hic a. 6. in O. & est de fide. *Prob. autem 1.* ex Script. Nam Christus, Matth. c. 14. sic ait: *In domo Patris mei mansiones multe sunt.* In quæ Christi verba hæc habet Gregorius Magn. lib. 4. Moralium c. 31. *Quia in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa proculdubio discretio dignitatum, ut quo hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat. Unde in Evangelio veritas dicit: In domo Patris mei, &c. 1. Cor. c. 15. sic loquitur Apostolus: Alia claritas solis, alia claritas lune, & alia claritas stellarum. Stella enim à stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum.* Hoc est, sicut inter stellas, aliæ majorem, aliæ minorem claritatem habent; ita inter justos resurgentes alii cum majori, alii cum minori gloria corporis resurgent. At gloria animæ respondebit gloria corporis, & consequenter in justis post resurrectionem, animæ gloria, quæ in possessione Dei consistit, non erit æqualis, sed in aliis major, minor verò in aliis. Idem Apostolus ead. epist. c. 3. hæc habet: *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem; ubi per laborem meritum intelligit. Ex quo sic argumentor. Me-*
Simonnet Theol. Tom. I.

rita bona, ex Apostolo, sunt mensura gloriæ in cælo justis retribuenda. Sed in hac vita merita bona non sunt æqualia in omnibus justis, sed in aliis majora, in aliis verò minora: quod non nisi insanissimè negare potuit Jovinianus. Ergo gloria & merces in cælo non erit æqualis in omnibus justis, sed major in aliis, & in aliis minor.

Prob. 2. ex Conciliis, & 1. quidem ex Florentino in litteris sanctæ unionis, ubi præsens controversia expressè definitur his verbis: *Definimus... illas (animas) quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exiit corporibus sunt purgate, in cælum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum trinum & unum, sicuti est, meritorum tamen diversitate alium alio perfectius.* 2. Ex Trident. sess. 6. can. 32. ubi definitur justum bonis operibus mereri augmentum gratiæ & gloriæ. Ergo quò plura & majora merita justus habet, eò majorem in hac vita sanctificantem gratiam, & in altera majorem gloriam recipit. Ergo cum inter justos alii plura & majora merita habeant, quàm alii, alii majorem gratiam in hac vita, & in altera majorem, quàm alii, gloriam recipiunt; proindeque inter justos, qui vident Deum in cælo, alii perfectius, alii minùs perfectè vident Deum, ut in se est.

Prob. 3. ex Patribus, Tertulliano scilicet in Scorpiaco contra Gnosticos c. 6. *Quomodo, inquit, multe mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum? Quomodo & stella à stella distabit in gloria, nisi pro diversitate radiorum?* Quibus verbis asserit Tertullianus diversam esse gloriam & mercedem beatorum, sicut diversa est claritas stellarum; & diversitatem gloriæ ac mercedis beatorum oriri ex diversitate meritorum, sicut diversitas claritatis stellarum proficiscitur ex diversitate radiorum. Hieronymo lib. 2. contra Jovinianum, ubi errorem ejus de æqualitate virtutum & meritorum acerrimè impugnat. Augustino lib. de sancta Virginitate c. 26. ubi diversitatem meritorum in Sanctis probat ex Apostolo 1. Cor. c. 15. in verbis supra laudatis, dum sic loquitur: *Quia in ipsa vita æterna distinctè fulgebunt lumina meritorum, multe sunt mansiones apud Patrem: ac per hoc in denario quidem non impari non vivet alius alio prolixius: in multis autem mansionibus honoratur alius alio clarius.* Accedit ratio S. Thomæ loco laudato. Non omnes beati habebunt æqualem virtutem videndi Deum. Ergo non omnes videbunt æqualiter. *Prob. ant.* In tantum intellectus beatorum habebit virtutem videndi Deum, in quantum elevabitur per lumen gloriæ. Sed mentes beatorum elevabuntur inæqualiter per lumen gloriæ. Ergo, &c. *Prob. min.* Mentis beatorum inæqualiter participabunt de lumine gloriæ. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam charitas habitualis, seu gratia sanctificans, quam habent Sancti in hac vita, sicut semen est, ita & est mensura luminis gloriæ in altera. Atqui Sancti in hac vita inæqualiter participant de charitate, & gratia sanctificante. Ergo inæqualiter participabunt in altera de lumine gloriæ. *Intellectus unus, inquit, habebit majorem virtutem seu facultatem ad videndum Deum, quàm alterius.* Quod ut probet, sic prosequitur: *Facultas videndi Deum non competit intellectui creato secundum suam naturam, sed per lumen gloriæ, quod intellectum in quadam difformitate constituit. Unde intellectus plus participans de lumine gloriæ, perfectius Deum videbit. Plus autem participabit de lumine gloriæ, qui plus habet de charitate.*

Obj. Christus, Matth. c. 20. in parabola operariorum, apertè significat inæqualibus laboribus & meritis æqualem mercedem esse retribuendam. In ea enim parabola, qui solùm hora undecima in vineam patrisfamilias venerant, tantum accipiunt præmium, quantum qui tota die laboraverant. Accipiunt enim singuli denarium, sicut & alii qui portaverant pondus diei & æstus. Respondet S. Augustinus lib. de sancta Virginitate c. 26. & ferm. 59. de verbis Domini, per denarium quem singuli operarii accipiunt propter inæqualem laborem & meritum, significari vitam æternam, quæ æqualiter retribuitur omnibus beatis, quamvis inæqualia habeant merita; omnes enim beati in cælo

eternum beati erunt: non verò gradum gloriæ, quæ diversa erit in illis pro diversitate meritorum. Sic enim loquitur Ierem. laudato: *Denarius ille vita æterna est, & in vita æterna omnes æquales erunt. Quamvis enim meritorum diversitate fulgebunt, alii majus, alii minus, quod tamen ad vitam æternam pertinet, æqualis erit omnibus. Non enim alteri erit longius, alteri brevius, quod pariter sempiternum est, quod non habebit finem, nec mihi nec tibi.* In eundem sensum loquitur lib. de sancta Virginitate cap. citato, ut patet ex verbis ejus supra laudatis.

R. 2. Non circumstantias, sed scopum parabolæ attendi oportere. Intentio autem Christi hanc parabolam proponentis est, ut ostendat Gentiles ad fidem convertendos tantum, imò plus præmii in lege gratiæ accepturos, quam acceperint Judæi, qui totum pondus legis Mosaicæ tulerunt, & tantoperè in servandis legalibus defudarunt; non quòd in lege gratiæ minoribus meritis æqualis merces retribuenda sit, sed quia in hac lege Christiani propter abundantiorē gratiam & charitatem, in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundendam, tantum, imò plus merebuntur, quamvis minus in suavi & levi jugo ferendo laboraturi sint.

Obj. 2. Si sancti in cælo vident Deum inæqualiter, unus est altero beator, Absurdum conf. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam si unus esset beator altero, unus majori bono frueretur, quam alter. Quod est absurdum. Nam omnes fruuntur summo bono. Summo autem non datur majus, imò nec æquale. R. Sanctorum in cælo unum esse altero beatiorem, non quia unus fruatur majori bono, quam alter: omnes enim, ut rectè dicitur in obj. summo bono fruuntur: unde quoad hoc omnes inter se æquales sunt, omnes verè beati; sed quia unus summo bono perfectiùs fruatur, quam alter, & visio beatifica, per quam sancti sunt formaliter beati, in uno clarior est, quam in altero. Quamvis enim visio beatifica sit in omnibus sanctis eadem quoad essentiam, non est eadem in omnibus quoad gradus intensiōis & extensiōis; & ita licet omnes sancti perfectiùs possideant Deum, quia omnes possident illum modo quoad essentiam excellentiùs, unus tamen alio perfectiùs possidet illum, quia inæqualiter possident illum secundum gradus intensiōis & extensiōis, qui inæquales esse possunt intra eandem speciem & essentiam possessionis, quantumvis in sua linea summam & excellentiùs.

Obj. 3. Omnes beati vident Deum, sicuti est. Ergo omnes æqualiter vident. R. n. conf. Quamvis enim omnes videant, sicuti est, non tamen omnes vident eum, quantum videri potest, sicuti est; imò nullus videt eum, quantum visibilis est, sicuti est. Unde potest unus alio perfectiùs videre illum, sicuti est. Cum igitur re ipsa unus alio perfectiùs videat illum, sicuti est, vident illum inæqualiter.

Confirm. Omnes beati vident Deum sicuti est, hoc sensu quòd non videant illum aliter, quam est, seu aliter se habere, quam re ipsa se habet; ex quo non sequitur, quòd omnes æquè perfectè illum videant, sed solum quòd nullus in sua visione fallatur. Vel etiam, si vis, omnes beati vident Deum sicuti est, hoc sensu quòd omnes videant trinitatem personarum, essentiam strictè sumptam, & omnia alia attributa absoluta, quæ fide divina creduntur in hac vita; ex quo minime sequitur, quòd omnes æqualiter videant Deum. Non enim omnes vident attributa divina adæquatè, & quantum visibilia sunt; cum majori & majori in infinitum claritate videri possint, & habeant partes & gradus virtuales plures & plures in infinitum, quorum unus sine alio videri potest. Unde nullus videt aut videre potest attributa divina adæquatè, & quantum possunt videri. Quoniam autem inter beatos alii clariùs, alii minus clarè vident attributa divina, & ita alii plures, alii pauciores vident distinctè gradus virtuales attributorum divinarum, non est in omnibus beatis æqualis visio Dei, sed inæqualis.

Obj. 4. Si inter beatos alii minus, alii magis perfectè vident Deum, qui minus perfectè vident, non sunt verè beati. R. n. seq. prob. Ille non est verè beatus, cu-

jus appetitus non sariatur. Atqui in iis, qui minus perfectè vident, appetitus non sariatur. Ergo, &c. *Nota min. Prob. min.* Tandiu appetitus non sariatur, quandiu superest appetendum aliquid, quod proponitur sub ratione majoris boni. Atqui minus perfectè videnti Deum superest appetendum aliquid, quod ei proponitur sub ratione majoris boni, nempe perfectior modus videndi Deum, & consequenter perfectior beatitudo, qua fruuntur alii. Ergo, &c. R. n. maj. Nam tunc appetitus perfectè sariatur, cum nihil amplius desideratur, quam id quod possidetur. At beati, minus perfectè videntes Deum, nihil amplius desiderant. Cum enim efficaciter diligant Deum plus quam se ipsos, efficaciter conformant se voluntati divinæ, qua statutum est, minoribus meritis visionem Dei minus perfectam retribui, sicut & majoribus magis perfectam, atque ita se rem habere impensè gaudent: unde & sorte sua planè contenti sunt, & aliis suam, licet meliorem, minime invident. Vellent quidem, si ita Deo placeret, ad altiorē beatitudinis gradum posse pertingere; sed hæc voluntas conditionata, seu potius velleitas, non impedit perfectam sarietatem.

Quæres, utrum intellectus creatus specificè perfectior, cum æquali lumine gloriæ perfectiùs videat Deum. R. negativè. Ratio negandi est, quia intellectus creatus, quantumcumque specificè perfectior supponatur, habet tantum ex se inchoatam virtutem ad videndum Deum, proindeque non valet ad videndum Deum, nisi in quantum elevatur, & pro mensura elevationis. Atqui cum æquali lumine gloriæ non magis elevatur, quam intellectus specificè inferior, ut patet ex terminis. Ergo cum æquali lumine gloriæ non valet ad perfectiorem Dei visionem, sed ad æqualem tantum. Hæc autem planè videtur esse sententia S. Thomæ loco laudato, cum ait: *Facultas videndi Deum non competit intellectui creato secundum suam naturam, sed per lumen gloriæ, quod intellectum in quadam deiformitate constituit.* Unde sic adhuc argumentor. In tantum quilibet intellectus creatus valet ad videndum clarè & intuitivè Deum ut in se est, in quantum pertingit ad quandam deiformitatem, hoc est, ad excellentem quandam & divini ordinis similitudinem cum Deo, quæ similitudo non est aliud, quam excellens quædam & divini ordinis participatio intellectus increati. Atqui quilibet intellectus creatus plus vel minus ad hanc deiformitatem pertingit, prout majori vel minori lumine gloriæ perfunditur. Nam hæc deiformitas realiter consistit in lumine gloriæ, quo formaliter intellectus creatus increatum excellenti quodam & divino modo participat. Ergo intellectus creatus quilibet in tantum plus vel minus valet ad videndum Deum clarè & intuitivè, ut in se est, in quantum majori vel minori lumine gloriæ perfunditur, & consequenter cum æquali lumine intellectus superior non plus valet ad videndum Deum clarè & intuitivè, ut in se est, quam inferior; sed ambo ad id valent ex æquo, quia ambo ex æquo sunt deiformes, ambo ex æquo participant intellectum increatum excellenti illo & divino modo, quem clara & intuitiva Dei, ut in se est, visio requirit. Rectè igitur inæqualitas visionis beatificæ ab inæqualitate luminis gloriæ, sicut inæqualitas luminis gloriæ ab inæqualitate meritorum, à nobis cum Patribus & S. Thoma repetitur.

ARTICULUS VI.

Quid per visionem beatificam beati videant.

RESPONSIO I.

Beati vident essentiam Dei strictè sumptam, trinitatem personarum, & omnia attributa absoluta, quæ fide divina creduntur in hac vita, quamvis non videant omnes partes seu gradus virtuales horum attributorum.

Prob. 1. pars. Nam si beati non viderent essentiam Dei strictè sumptam, non viderent propriè Deum. Ille enim non videt propriè Deum, qui non videt id quo primò constituitur, & distinguitur ab eo omni, quod non est Deus. *Prob. 2. pars.* Quia visio beatis modo

conna-

connaturali conceditur. At beati non vident essentiam divinam modo connaturali, nisi videant illam cum suis complementis intrinsecis, quæ sunt personalitates divinae. Hæc autem utraque pars est de fide, utpotè expressè definita à Conc. Flor. in litteris sanctæ unionis, ubi dicitur animas beatorum, sive in corpore, sive extra corpus purgatas, *intueri clarè ipsum Deum trinum & unum. Prob. 3. pars. 1. ex Apostolo 1. Cor. c. 13. dicente: Videmus nunc per speculum in enigmate: tunc autem facie ad faciem. Ergo tunc videbimus, quæ nunc credimus; & cognitio divinorum, quam habemus in hac vita, & eorundem cognitio, quam habebimus in altera, in hoc tantum differunt, quod una sit obscura & enigmatica, altera verò clara & intuitiva futura sit. Ergo tunc clarè & intuitivè videbimus omnia attributa absoluta, quæ nunc credimus. 2. Ex Augustino lib. 20. de Civ. c. 21. Ibi videbimus, & gaudebit cor nostrum. Nec expressit, quid videbimus. Sed quid, nisi Deum? ut impleatur in nobis promissum evangelicum: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt; & omnia illa, quæ nunc non videmus: Credentes autem pro modulo capacitatis humane, longè minus quam sunt, atque incomparabiliter cogitamus. Et videbitis, inquit, & gaudebit cor vestrum. Hic creditis, ibi videbitis. 3. Ratione. Quia visio succedit fidei, tanquam premium merito. Atqui meritum nulla ex parte excedet premium retribuendum in cælo, ubi, ut ait Christus Matth. c. 5. merces copiosa erit; & ubi, ut idem ait, Luc. c. 6. mensura bona, & conferta, & coagitata, & superfluenta dabitur in sinum nostrum. Ergo illic non pauciora videbimus, quam hic credimus. Ergo, &c. Hactenus autem dicta confirmari possunt ex S. Thoma hic q. 12. a. 7. ad 2. & 3. ubi videtur supponere Deum non posse propter suam simplicitatem videri intuitivè, ut in se est, quin videantur omnia, quæ sunt in illo formaliter, ac proinde quin videantur omnia attributa strictè dicta, cum essentia & personis.*

Prob. 4. pars. Quia si beati distinctè viderent omnes partes seu gradus virtuales attributorum divinorum, comprehenderent illa & extensivè, ut patet ex terminis, & intensivè: nam viderent illa tanta claritate, quanta videri possunt. Cum enim eò plures gradus virtuales attributorum divinorum distinctè videantur, quod attributa divina clariùs videntur; & vicissim eò clariùs videantur attributa divina, quod plures illorum gradus virtuales distinctè videntur, proindeque major claritas in videndis attributis sit ratio distinctè videndi plures illorum gradus virtuales; certè si beati viderent distinctè omnes partes virtuales attributorum divinorum, viderent illa infinita claritate; & ita viderent illa tanta claritate, quanta ex se nata sunt videri, ac proinde visione sua adæquarent intrinsecam illorum cognoscibilitatem, non solum extensivam, sed etiam intensivam, & ita illa non solum extensivè, sed etiam intensivè comprehenderent. Atqui hoc absolute repugnat, ut superius probatum est. Ergo, &c.

RESPONSIO II.

Beati vident in Deo, ut in medio ratione priùs cognito, creaturas ut possibiles secundum suum esse proprium, alii plures, alii pauciores, nulli tamen omnes.

Prob. 1. pars. Nempe quod beati videant in Deo, ut medio priùs cognito, creaturas ut possibiles secundum esse proprium, 1. autoritate S. Augustini agnoscantis in Angelis duplicem creaturarum cognitionem, unam matutinam, qua cognoscunt illas in Verbo; alteram vespertinam, qua cognoscunt creaturas in se ipsis immediatè per proprias species; quarum primam secunda longè clariorem & perfectiorem esse docet. Sic enim loquitur lib. 11. de Civ. c. 7. *Cognitio creature in se ipsa decoloratio est, ut ita dicam, quam cum in Dei sapientia cognoscitur, velut in arte, quæ facta est, aut fieri potest. Atqui cognosci creaturam in sapientia divina, velut in arte, quæ facta est, aut fieri potest, est illam cognosci in sapientia divina, tanquam in medio priùs cognito. Ergo ex S. Augustino Angeli beati (idem dic de hominibus beatis) vident in sapientia divina, tanquam in medio priùs cognito, creaturas saltem ut pos-*

Simonnet Theol. Tom. I.

sibiles, & quidem secundum esse proprium, quod habent, si producantur: manifestum enim est S. Doctorem loqui de cognitione creaturarum secundum esse proprium: vident, inquam, melius & clariùs, quam videant eas in se ipsis immediatè, eò quod scilicet sapientia divina, ut objectum priùs clarè & intuitivè visum, sit medium cognoscendi creaturam longè præstantius, quam propria creaturæ species. Hanc esse S. Augustini mentem ostenditur amplius ex lib. 4. de Genesi ad litteram. Nam ita loquitur c. 23. *Multum interest inter cognitionem rei cuiusque in Verbo Dei, & cognitionem in natura ejus, ut illud merito ad diem pertineat, hoc ad vespertinam. In comparatione enim lucis illius, quæ in Verbo Dei conspicitur, omnis cognitio, quæ creaturam quamlibet in se ipsa novimus, non immerito nox dici potest.*

Prob. 2. autoritate S. Thomæ hic q. 12. a. 8. in O. ubi hæc leguntur: *Manifestum est, quod sic aliqua videntur in Deo, secundum quod sunt in ipso. Omnia autem alia sunt in Deo, sicut effectus sunt virtute in sua causa. Sic igitur omnia videntur in Deo, sicut effectus in sua causa.* Ergo ex S. Thoma creaturæ saltem ut possibiles videntur in Deo, tanquam in medio ratione priùs cognito: causa enim ratione priùs cognita, se habet ad instar speculi representantis effectus, quos in se virtualiter continet; sicut principium, ratione priùs cognitum, se habet ad instar speculi representantis conclusiones, quibuscumque connexum est. Sicut enim principium cognitum se habet ad conclusiones, ita se habet causa cognita ad effectus suos, ut docet ibidem S. Doctor. Nec dic S. Thomam non loqui de creaturis secundum esse proprium, sed secundum esse eminentiale tantum, quod habent in Deo, tanquam in primo principio celsendi rerum omnium. Nam 1. cognosci creaturas tantum secundum esse eminentiale, quod habent in Deo, tanquam in prima rerum omnium causa, non est, propriè loquendo, cognosci ipsas creaturas in Deo, sed Deum ipsum, qui est prima causa rerum omnium. At S. Thomas docet creaturas propriè videri in Deo, ut effectus in causa sua. 2. Quod verbis laudaris intelligat, creaturas etiam secundum esse proprium videri in Deo, ut effectus in causa ratione priùs cognita, patet ex q. 58. a. 7. in O. ubi de Angelis beatis hæc scribit: *Non enim videndo Verbum, cognoscunt solum illud esse verum (eminentiale scilicet) quod habent in Verbo, sed illud esse, quod habent in propria natura, sicut Deus per hoc, quod videt se, cognoscit esse verum, quod habet in propria natura.*

Prob. 3. Ratione. Nam v. g. omnipotentia divina habet transcendentalem respectum ad omnia possibilia in particulari. Atqui respectus transcendentis ad aliquem terminum in particulari, non potest clarè & distinctè cognosci, quin terminus ejus distinctè cognoscatur, ut per se manifestum est. Ergo non potest clarè & intuitivè videri omnipotentia divina, quin simul aliqua saltem creaturæ possibiles distinctè cognoscantur: cum non possit clarè & intuitivè videri omnipotentia divina, quin clarè & intuitivè videatur secundum aliquas saltem habitudines transcendentales, quas habet ad creaturas aliquas in particulari. Idem autem argumentum fieri potest de scientia simplicis intelligentiæ, & de simplici complacentia, quam Deus habet circa possibilitatem rerum: utraque enim tam habet respectum transcendentalem ad omnia possibilia in particulari, quam omnipotentia. Unde in Deo triplex reperitur medium, in quo ratione priùs clarè & intuitivè viso, abstractivè & indirectè videntur creaturæ ut possibiles secundum esse proprium, quod habent, si re ipsa existunt, vel haberent saltem, si existerent.

Dixi autem indirectè & abstractivè. Pro quo, nota. Actus, quo beatus videt Deum, & in Deo possibilia, duplex habet objectum, primum scilicet, & secundarium. Primum est Deus, secundarium verò possibilia. Deus est objectum primum visionis beatificæ, quia per se immediatè videtur à beato, & non per aliud ratione priùs cognitum: possibilia verò secundarium, quia non per se immediatè, sed per aliud ratione priùs cognitum videntur à beato; unde indirectè tantum vi-

C 4 dentur;

dentur, quia illud indirectè tantum videri dicitur, quod non videtur, nisi quia aliud videtur, & visum est intellectui ratio illud videndi. Videntur etiam tantum abstractivè, quia præcisè quæ possibilia attinguntur solum secundum esse non repugnans. Deus autem & directè & intuitivè videtur, quia à beato attingitur & per se immediatè, & secundum esse actuale & exercitum; ita ut visio beatifica intellectum beati certificet de actuali existentia Dei & attributorum ejus, tam relativorum, quam absolutorum; cum illum quæ præcisè est visio possibilium in Deo, certificet tantum de eorum non repugnantia ad existendum.

Prob. 2. pars. nempe quod inter beatos alii plures, alii pauciores videant in Deo creaturas ut possibiles: quia, ut probatum est art. superiori, beati non vident Deum æqualiter, sed alii perfectius & clariùs, alii verò minùs clarè & perfectè. Atqui quo Deus clariùs & perfectius videtur, eo plura; & è contra quo minùs clarè & perfectè videtur, eo pauciora videntur in illo possibilia. Ergo, &c. *Prob. min.* Quia possibilia videntur in Deo, sicut effectus in causa. Sed quo perfectius videtur causa, eo plures; & è contra quo minùs perfectè videtur causa, eo pauciores videntur in illa effectus: sicut quo perfectius videtur principium, eo plures; & quo minùs perfectè videtur principium, eo pauciores videntur in illo conclusiones. Ergo, &c. Sic argumentatur S. Thomas hic q. 12. a. 8. in O. *Mani festum est*, inquit, quod quanto aliqua causa perfectius videtur, tanto plures ejus effectus in ipsa videri possunt. Qui enim habet intellectum elevatum, statim uno principio demonstrativo proposito, ex ipso multarum conclusionum cognitionem accipit, quia scilicet melius illud penetrat. Quod non convenit ei qui debiliore intellectus est, sed oportet, quod ei singula explantur, quia videlicet non satis penetrat illud principium. Ex his autem concludit, quod horum, quæ Deus facit, vel facere potest, tanto aliquis intellectus plura cognoscit, quanto perfectius Deum videt.

Porro sicut inter beatos alii plures, alii pauciores vident in Deo creaturas ut possibiles; ita alii has, alii alias vident, prout ad id determinantur ab essentia divina, ad visionem sui objectivè concurrente secundum beneplacitum divinum, vel potiùs à lumine gloriæ, ex sua ratione sive specifica, sive individuali ad hæc possibilia, & non alia, manifestanda determinato, aut ab actuali concursu Dei, cum intellectu & lumine gloriæ ad horum, & non illorum possibilitium visionem iustas ob causas concurrentis. Concurrit autem ad visionem horum & non illorum possibilitium, concurrente ad visionem harum, & non illarum partium virtualium suæ omnipotentiae; harum, & non illarum partium virtualium scientiæ simplicis intelligentiæ, &c. Nam hic beatus videt in Deo hæc possibilia, & non illa, quia videt v. g. has, & non illas partes virtuales omnipotentiae divinæ; sicut videt plura, vel pauciora possibilia in Deo, quam alius, quia videt v. g. plures vel pauciores partes virtuales omnipotentiae divinæ, quam alius, qui vel perfectius & clariùs, vel minùs clarè & perfectè videt omnipotentiam divinam. Quod enim clariùs videtur omnipotentia, eo plures; & è contra quò minùs clarè videtur omnipotentia, eo pauciores videntur partes virtuales illius; quæ partes virtuales sunt partiales respectus transcendentales, virtualiter inter se distincti, ex quorum collectione veluti integratur omnipotentia, & quorum singuli clarè cogniti ducunt in cognitionem distinctam possibilis particularis, ad quod terminantur. Ex quo facile declarari potest amplius veritas hujus secundæ partis affectionis nostræ.

Prob. 3. pars. Nempe quod nullus inter beatos videat in Deo omnia possibilia. Quia si beatus aliquis videret omnia possibilia v. g. in omnipotentia, cognosceret distinctè omnes partes & gradus virtuales illius. Confl. repugnat. Ergo, &c. Major patet ex terminis. *Prob. min.* Si beatus aliquis distinctè cognosceret omnes partes & gradus virtuales omnipotentiae, omnipotentiam comprehenderet tum extensivè tum intensivè, ut constat ex dictis resp. 1. Confl. repugnat. Cum enim partes & gradus virtuales omnipotentiae sint plures & plu-

res in infinitum, visio illa, qua beatus omnipotentiam tum extensivè tum intensivè comprehenderet, esset extensivè & intensivè infinita, qualis profectò visionis non est capax intellectus creatus. Ergo, &c.

RESPONSIO III.

Beati per visionem beatificam vident decreta divinæ voluntatis.

Prob. 1. ex S. Augustino lib. 13. Confess. c. 15. ubi de Angelis sic loquitur: *Non opus habent suspicere firmitatem hoc, & legendo cognoscere verbum tuum. Vident enim faciem tuam semper, & ibi legunt sine syllabis temporum quid velit æterna voluntas tua. Legunt, eligunt & diligunt: semper legunt, & nunquam præterit quod legunt. Eligendo enim & diligendo legunt ipsam incommutabilitatem consilii tui.* Igitur ex S. Augustino eadem illa visione, qua beati vident faciem Dei, vident quoque decreta divina, & eorum incommutabilitatem. 2. Ex S. Bernardo lib. 5. de Consideratione c. 4. ubi in hac verba Prophete, *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vite mee, ut videam voluntatem Domini, ac visitem templum ejus*, hæc scribit: *Quidni ibi videatur cor Dei? Quidni ibi probetur, quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta? Bona in se, placens in effectibus, beneplacens fruentibus, perfecta perfectis, & nihil ultra querentibus. Patent viscera misericordiae. Patent cogitationes pacis, divitiæ salutis, mysteria bona voluntatis.* Quibus verbis aperte significat S. Bernardus unumquemque beatorum visurum esse quæcumque Deus circa salutem & prædestinationem ejus ab æterno statuit. 3. Ex S. Thomas hic q. 57. a. 5. in O. *Est autem & alia Angelorum cognitio, qua eos beatorum facit, qua vident Verbum, & res in Verbo. Et hæc quidem visione cognoscunt mysteria gratiæ; non quidem omnia, nec æqualiter omnes, sed secundum quod Deus voluerit eis revelare, hoc est, manifestare per lumen gloriæ, ut patet ex subsequentibus.* Nam sic prosequitur: *Superiores Angeli perspicacius divinam sapientiam (clarè scilicet & intuitivè) contemplant, plura mysteria & altiora in ipsa Dei visione cognoscunt, quæ inferioribus manifestant, eos illuminando.* Quid autem sunt mysteria illa gratiæ, quæ Angeli beati in ipsa visione beatifica cognoscunt, nisi ea, quæ Deus ex pura liberalitate vel misericordia ab æterno ordinavit & præparavit ad electorum suorum consummationem, & gloriam suam procurandam, in his misericordissimam bonitatem exercendo, in illis ostendendo justissimam severitatem? Vident igitur beati decreta divina per visionem beatificam. Ratio congrua est, quia amicitia, qualis perfectissima Deum inter & beatos intercedit, exigit ut amicus amico sensus suos & consilia aperiat. Ut autem rectè observat S. Thomas, non omnes beati vident æqualiter decreta divinæ voluntatis, & nullus videt omnia. Ratio congrua primi est, quia non omnes sunt æqualiter amici Dei, & conveniens est, ut qui plura & majora habent merita, plura & altiora videant. Secundum probant hæc Christi verba Marci cap. 13. *De die autem illa vel hora nemo scit, neque Angeli in celo.* Præterea hoc videtur pertinere ad commendationem divinæ majestatis, & summæ ipsius independentiæ. Porro beati ex eo quod videant substantiam divinam clarè & intuitivè, non necessariò vident divina decreta. Nam si Angelus potest pro arbitrio occultare vel manifestare actus voluntatis suæ alteri Angelo, etiam clarè intuenti substantiam ejus; à fortiori idem potest Deus respectu beatorum omnium, à quibus clarè & intuitivè videtur, dando vel subtrahendo concursum ad videndas volitiones divinas necessarium.

RESPONSIO IV.

Beati vident in Deo, ut objecto ratione priùs cognito, creaturas etiam ut existentes.

Prob. 1. ex S. Augustino, ita docente locis laudatis Resp. 2. ubi tam de creaturis existentibus, quam de possibilibus, imò de existentibus potissimum loquitur. Quod adhuc amplius ostenditur ex c. 24. lib. 4. de Genesi

nessi ad litteram ubi sic ait: *Cum sancti Angeli, quibus post resurrectionem coaquabimur... semper videant faciem Dei, Verboque eius unigenito filio, sicut Patri equalis est, perscrutantur... proculdubio universam creaturam, in qua ipsi sunt principaliter conditi, in ipso Verbo Dei prius noverunt, in quo sunt omnium, etiam quae temporaliter facta sunt, aeternae rationes, tanquam in eo per quod facta sunt omnia; ac deinde in ipsa creatura, quam sic noverunt, tanquam infra despicientes, eamque referentes ad illius laudem, in cuius incommutabili veritate rationes secundum quas facta est, principaliter vident.* Hic S. Doctor manifestè loquitur de creaturis per Verbum conditis, quas dicit ab Angelis duplici cognitione cognosci, una veluti primaria & principali, qua cognoscunt illas in Verbo clarè & intuitivè viso, quia rerum omnium, quae per ipsum factae sunt, aeternae rationes seu ideas in se continet, quas Angeli beati clarè & intuitivè contemplantes, creaturas existentes, quarum sunt ideae, etiam ut existentes clarè intuentur; altera verò veluti secundaria, qua cognoscunt illas in se ipsis, ad proprias illarum species oculum mentis quasi demittentes.

Prob. 2. ex S. Bernardo lib. 5. de Consid. cap. 1. ubi his Apostoli verbis Rom. c. 3. relatis, *Invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur*, sic ait: *Sane hac scala civis non eget, sed exules... & verè quid opus est scalis tenenti jam solium? Creatura caeli illa est, pressio habens per quod potius ista intueatur. Videt Verbum, & in Verbo facta per Verbum.* Nec opus habet ex his, quae facta sunt, factoris notitiam mendicare. Neque enim, ut vel ipsa noverit, ad ipsa descendit, quae ibi illa videt, ubi longè melius sunt, quam in se ipsis. Quae verba nullum tergiversationi locum relinquunt. Nam S. Doctor manifestè loquitur de creaturis ut existentibus, & dicit illas videri à beatis in Verbo, quod vident, & sic ibi videri ubi longè melius, hoc est, modo longè excellentiori sunt, quam in se ipsis. Sunt enim in Verbo tanquam in supremo Ente, quod est primum principium, & idea rerum omnium, quae fiunt, vel fieri possunt. In alienum itaque sensum convincuntur detorquere SS. Augustinum & Bernardum, qui eos interpretantur de creaturarum ut existentium visione in Verbo, non formali, sed causali, & contentum sanctos illos Doctores eatenus velle existentia à beatis in Verbo videri, quatenus beatis intuitu visionis beatificae per specialem revelationem conceditur existentium cognitio.

Prob. 3. ex S. Thoma hic q. 12. art. 8. in O. *Horum*, inquit, *quae Deus facit, vel facere potest, tanto aliquis intellectus plura cognoscit, quanto perfectius Deum videt.* Quibus verbis non solum possibilia, sed etiam existentia in Deo videri posse, tanquam in medio prius cognito, aperte asserit. Et q. 57. art. 5. in O. *Superiores Angeli*, inquit, *perspicacius divinam sapientiam, in qua scilicet sunt rationes & ideae rerum omnium, non solum possibilem, sed etiam existentium, contemplantes, clara & intuitiva contemplatione, plura mysteria & aliora in ipsa Dei visione cognoscunt.* Haec autem gratiae mysteria sunt res existentes. Et 3. p. q. 10. art. 2. in O. ubi luculenter mentem suam exponit. Nam loquens de rebus existentibus, sic ait: *Unusquisque intellectus creatus in Verbo cognoscit, non quidem omnia simpliciter, sed tanto plura, quanto perfectius videt Verbum.* Nulli tamen intellectui beato deest, quin cognoscat in Verbo omnia, quae ad ipsum spectant. Ad Christum autem & ad eius dignitatem spectant quodam modo omnia... Et ideo anima Christi in Verbo cognoscit omnia existentia secundum quodcumque tempus, & etiam hominum cogitatus, quorum est iudex; ita ut, quod de eo dicitur Joan. 2. *Ipsa sciebat quid esset in homine; potest intelligi non solum quantum ad scientiam divinam, sed etiam quantum ad scientiam animae eius, quam habet in Verbo.* Expressius adhuc loquitur in 4. dist. 49. art. 5. ad 12. *Nihil prohibet dicere, inquit, quod post diem iudicii, quando gloria hominum & Angelorum erit penitus consummata, omnes beati scient omnia, quae Deus scientia visionis no-*

vit; ita tamen quod non omnes omnia videant in essentia divina: sed anima Christi ibi planè videbit omnia, sicut & nunc videt; alii autem videbunt ibi plura vel pauciora secundum gradum, quo Deum cognoscunt; & sic anima Christi de his, quae prius aliis videt in Verbo, omnes alias illuminabit. Atqui quae Deus novit per scientiam visionis, sunt creaturae existentes. Ergo ex S. Thoma, beati videbunt in Verbo creaturas ut existentes, plures vel pauciores, prout scilicet Verbum clarius vel minus clarè videbunt.

Prob. 4. Ratione: Omnes beati vident aliqua decreta divina per visionem beatificam, ut probatum est Resp. 3. sed decreta divina sunt respectus transcendentales voluntatis divinae ad creaturas existentes, ut tales. Ergo beati vident in voluntate divina aliquas creaturas ut existentes; & quidem in particulari, in quas tendit per decreta illa, quae clarè & intuitivè videntur. Certè cum decreta, quibus Deus vult aliquas res existere, nihil aliud sint, quam vitales tendentiae voluntatis divinae in existentiam exercitiam rerum illarum, ut suo loco ostendetur, non possunt clarè & intuitivè videri decreta, quibus vult Deus aliquas res existere, quin clarè & intuitivè videatur voluntas divina, ut vitaliter tendens in existentiam exercitiam rerum illarum. Atqui intellectus clarè & intuitivè videns voluntatem divinam, ut vitaliter tendentem in existentiam exercitiam harum rerum in particulari, hoc ipso distinctè attingit existentiam harum rerum in particulari ut actualem & exercitam, & de ea ut tali planè certificatur. Ergo beati clarè & intuitivè videntes decreta, quibus Deus vult has vel illas res existere, distinctè cognoscunt has vel illas res existere; cognoscunt, inquam, in decretis, ut medio prius cognito.

Simile argumentum efformari potest de scientia visionis: habet enim respectum transcendentalem ad existentiam creaturarum omnium, quae existunt pro aliqua differentia temporis, ut actualem & exercitam. Deus enim per scientiam visionis creaturas omnes, aliquando existentes, clarè & intuitivè videt existere pro omni differentia temporis, pro qua re ipsa existunt. Unde sic argumentor breviter. Beati non possunt clarè & intuitivè videre scientiam visionis, quin clarè & intuitivè videant saltem ex aliqua parte respectum illum, quem habet ad existentiam creaturarum actualem & exercitam ut talem. Ergo non possunt clarè & intuitivè videre scientiam visionis, quin saltem distinctè attingant aliquam saltem creaturarum existentiam actualem & exercitam ut talem: cum non possit clarè & intuitivè videri respectus aliquis, quin distinctè attingatur terminus ejus. Præterea, scientia visionis se habet, seclusis imperfectionibus, ad instar collectionis plurium cognitionum, quarum singulae singulas, quae re ipsa aliquando existunt, creaturas ut actu & exercitè existentes distinctè repræsentant. Atqui non potest clarè & intuitivè videri aliqua cognitio aliquid distinctè repræsentans, quin illud quoque, quod distinctè repræsentat, distinctè attingatur. Ergo non potest clarè & intuitivè videri scientia visionis à beato, quin ab eo simul distinctè attingantur aliqua saltem ex iis, quae re ipsa existunt, creaturae ut actu & exercitè existentes; cum non possit clarè & intuitivè videri, quin clarè & intuitivè videatur saltem ut cognitio aliquarum ex iis, quae re ipsa existunt, creaturarum, ut actu & exercitè existentium. Collectio enim cognitionum non potest clarè & intuitivè videri, quin clarè & intuitivè videatur aliqua cognitio in particulari. Denique scientia visionis est vitalis expressio omnium creaturarum existentium actu & exercitè. Ergo est formalis idea omnium creaturarum existentium actu & exercitè. Atqui non potest clarè & intuitivè videri formalis idea alicujus rei, quin distinctè attingatur illa res: formalis enim idea se habet ad instar speculi respectu objecti, cujus est distincta idea. Ergo non potest scientia visionis clarè & intuitivè videri, quin aliqua saltem creaturae ut actu & exercitè existentes, distinctè eadem visione attingantur; cum non possit clarè & intuitivè videri,

videri, quia videatur clarè & intuitivè saltem ut est formalis idea aliquarum creaturarum in particulari. Ex his obiter observa, beatos videre etiam aliqua futura in scientia futuribilem, quam clarè & intuitivè vident. Quod facillè demonstrari potest per applicationem eorum, quæ pro scientia visionis dicta sunt.

Obj. Relatio transcendentalis ad creaturas repugnat Deo. Ergo malè dicuntur, vel supponuntur omnipotentia, decreta, & scientia divina esse transcendentaliter relativa ad creaturas; & ita nullum est fundamentum asserendi creaturas sive ut existentes, sive etiam ut possibiles, posse videri in Deo, ut medio prius cognito. *R. 1.* n. secundum consequens. Quamvis enim omnipotentia v. g. non esset transcendentaliter relativa ad creaturas possibiles, adhuc tamen creaturæ ut possibiles possent videri in illa prius visa; ad hoc enim sufficeret connexio, quam habet omnipotentia cum creaturis ut possibilibus. Tantam autem, licet non tam necessariam, cum creaturis ut existentibus connexionem habent decreta divina & scientia visionis, propter quam, etiam circumscripto respectu transcendentali, in illis ratione prius visis videri possent creaturæ ut existentes. Adde quod adhuc sit alia ratio specialis scientiæ visionis, nempe quod sit vitalis expressio & formalis idea, & quidem perfectissima, existentiae creaturarum ut actualis & exercitiæ, quam proinde clarè & distinctè videri posse in scientia visionis, clarè & intuitivè visa, minime potest negari.

R. 2. n. ant. *obj.* Nullam enim in Deo imperfectionem importat relatio transcendentalis ad creaturas. Non enim est relatio effectus ad causam in ullo genere causæ, cum in nullo vero sensu Deus sit propter creaturas: sed est tantum relatio causæ ad effectus, volentis ad volita, & scientis ad scita. *At inquit.* Relatio illa dicit in Deo dependentiam à creaturis. *R.* hoc esse falsum. Quamvis enim Deus non possit non referri transcendentaliter ad creaturas, hoc ipso quod potest illas producere, quod illas vult, & illas cognoscit; nullatenus tamen ab illis dependet, quia neque cognitionem illarum ab illis emendicat, neque vult illas ex aliqua indigentia, sed ex summa propensione, qua, ut summum bonum est, amat se ipsum diffundere, neque debet illis, quod possit illas producere, sed sibi soli, quatenus, ut est primum & supremum Ens, non potest non esse primum efficiendi principium rebus omnibus, & omnium aliorum entium perfectiones omnes in se eminenter & virtualiter præcontinet. Unde respectum illum, quem habet ad creaturas possibiles, talem, ut non modò non possit sine illis perfectè cognosci, sed nec esse, si non essent possibiles, habet, non ex aliqua indigentia, vel dependentia, sed ex abundantia & fecunditate, atque eminentia inscripta, sine quibus repugnat esse primum & supremum Ens.

At inquit. Ergo omnipotentia, voluntas & sapientia divina non sunt attributa absoluta. *R.* non esse attributa absoluta hoc sensu, quod nequidem transcendentaliter referantur ad creaturas; sed alio, nempe quod non habeant inter se aut cum personalitatibus divinis oppositionem relativam, sicut personalitates ipsæ habent inter se. Sed

Nota 1. Beati eò plures vel pauciores creaturas ut existentes vident in Deo, quò plura vel pauciora decreta divina, & perfectius vel minus perfectè scientiam visionis clarè & intuitivè vident. Quod facillè intelligitur ex dictis. Probabiliter autem omnes vident in Deo, 1. mysteria nostræ fidei, quod probari potest ex S. Augustino verbis Resp. 1. laudatis; imò & ex Apostolo ead. Resp. laudato. 2. Cælum, elementa, & præcipuas species rerum naturalium, ut docet S. Thomas pluribus locis. 3. Res, quæ in hoc mundo geruntur, ad ipsos specialiter pertinentes, cum variis futuris contingentibus, ad ipsos pariter pertinentibus, ut docet S. Thomas 3. p. q. 10. art. 2. in O. verbis Resp. 4. laudatis. Quæcumque autem per visionem beatificam cognoscunt, cognoscunt invari-

biliter ab initio sui status beatifici: quia visio beatifica non variatur, sed semper manet eadem.

Nota 2. Creaturæ ut existentes, quatenus videntur in Deo prius viso, videntur tantum indirectè: quia non per se immediatè, sed per aliud & in alio videntur. Utrum autem sic visæ videantur intuitivè, an non, est questio de voce. Nam visio creaturarum ut existentium in Deo, tanquam in objecto ratione prius cognito, non est intuitiva, si ad visionem intuitivam requiritur ut pendeat ab existentia objecti exercitiæ; est verò intuitiva, si, quod melius dicitur, ad visionem intuitivam sufficit, quod repræsentet objectum ut in se est, certificando videntem de existentia objecti actuali & exercitiæ pro ea temporis differentia, pro qua res se ipsa existit.

Nota 3. Patres dicunt creaturas sive ut possibiles, sive ut existentes, videri à beatis in Verbo, non quod non videantur in omnibus personis divinis; nam re ipsa videntur in omnibus, cum videantur in aliquo medio omnibus personis communi; sed 1. quia eatenus videntur in Deo, quatenus Deus est quædam illarum imago, & denominatio imaginis specialiter convenit Verbo: nam vi suæ processionis est formaliter imago Patris. 2. Quia, ut docet S. Augustinus, creaturæ etiam ut existentes videntur in sapientia divina, tanquam in arte, ad illarum scilicet productionem applicata & determinata per decretum divinum: Verbum autem per se primò ex vi suæ originis est sapientia. 3. Quia Verbum, ut per se primò vi suæ originis existens sapientia Patris, per se primò vi suæ originis in se continet, & rationes, seu ideas objectivas, & formales ideas, in quibus juxta eundem Augustinum videntur creaturæ existentes. 4. Denique creaturæ sive possibiles, sive existentes, rectè dicuntur videri in Verbo, quia Verbum vi suæ originis est vitalis expressio omnium, quæ Pater novit, & consequenter vi suæ originis, vitalis imago creaturarum sive possibilium, sive existentium, in qua vitali imagine clarè & intuitivè visa, non possunt non videri à beatis creaturæ, plures scilicet vel pauciores, prout hæc imago clariùs vel minùs clarè ab illis videtur.

ARTICULUS VII.

Utrum animabus Sanctorum clara & intuitiva Dei visio differatur usque ad diem Judicii, & corporum resurrectionem.

Nota. Partem affirmativam tenuit S. Irenæus lib. 5. adversus hæreses c. 31. ubi sic loquitur: *Discipulorum ejus (Christi) anime abibunt in invisibilem locum, definitum eis à Deo, & ibi usque ad resurrectionem commorabuntur: post recipientes corpora, & perfectè resurgentes, hoc est, corporaliter, quemadmodum & Dominus resurrexit, sic venient ad conspectum Dei.* Idem videtur tenuisse S. Hilarius enarratione in Psal. 138. cum ait: *Humana ista lex necessitatis est, ut sepulchris corporibus, ad inferos anime descendant. Quam descensionem Dominus ad consummationem veri hominis non recusavit.* Quibus verbis significare videtur, hanc omnibus hominibus legem à Deo impositam esse, ut eorum animæ post mortem ad inferos descendant, ac proinde illorum, qui in gratia decedunt, animæ descendant in limbum, qui in Scriptura sinus Abraham dicitur, ibique maneat usque ad resurrectionem corporum. Perperam autem videntur mentem ejus interpretari de animabus justorum ante Christi in cælos Ascensionem, quia generaliter loquitur. Irenæo etiam accenseri possunt alii Patres, qui impegunt in errorem Papæ de terreno Christi regno post resurrectionem corporum per mille annos exituro.

Præsentem questionem soluti difficilem judicat S. Augustinus lib. 2. questionum evangelicarum c. 38. ubi loquens de receptione electorum in æterna tabernacula, hoc est, in cælum, sic ait: *Quoniam illa receptio utrum statim post istam vitam fiat, an in fine sæculi in resurrectione mortuorum, atque ultima*

retri-

retributione iudicii, non minima questio est. Neque verò difficultatem solvere existimandus, tract. 124. in Evang. Joannis, cum dicit, quòd Deus beatum Petrum per ingentem martyrii gloriam ab onere ipsius corporis solverit, eique concesserit, quòd Apostolus Paulus se concupisse dixit & scripsit, dissolvi & esse cum Christo. Nam lib. 1. retract. c. 14. hæret adhuc circa questionem hanc, quam magnam esse cenet. Qui hoc, inquit, invenerunt, nempe videre Deum facie ad faciem, ipsi dicendi sunt in beatitudinis possessione consistere, ad quam ducit via fidei quam tenemus, & quo credendo cupimus pervenire. Sed quinam sint illi beatissimi, qui jam sunt in ea possessione, quò ducit hæc via, magna questio est, non quidem pro Angelis, sed pro animabus iustorum defunctorum, pro quibus eam indecisiim relinquit S. Doctor. Nam sic prosequitur: Et Angeli quidem sancti quòd ibi sint, nulla questio est. Sed de sanctis hominibus jam defunctis, utrum ipsi saltem dicendi sint jam in illa possessione consistere, merito queritur. Jam enim corpore quidem corruptibili, quo anima aggravatur, exuti sunt; sed adhuc expectant etiam ipsi redemptionem corporis sui, & caro eorum requiescit in spe; sed nondum in futura incorruptione clarescit. Sed utrum ad contemplandam cordis oculis veritatem, sicut dictum est, facie ad faciem, nihil ex hoc minus habeant, non hic locus est disputando inquirere. Hic autem manifestè S. Doctor loquitur simpliciter de possessione & visione intuitiva Dei, non de majori vel minori perfectione possessionis & visionis huius. Unde non sunt audiendi, qui dicunt illum dubium tantum fuisse, utrum animæ sanctorum ante corporum resurrectionem, tam perfectè & intensè videant Deum, quam viuentium sunt post resurrectionem corporum, an non. Multò minus audiendi sunt, cum asserunt S. Doctorem dubium suum deposuisse in lib. 2. quest. evangelicarum cap. citato. Nam libri retractationum hoc libro posteriores sunt; & cum sinum Abraham interpretatur secretum Patris, & dicit quòd secretum Patris bene intelligitur, ubi etiam ante resurrectionem iustorum animæ vivunt cum Deo; nihil aliud vult, quam animas iustorum cum Deo esse: quocumque tandem modo sint, si per visionem beatificam, si per aliam specialissimam quidem, sed visione beatifica inferiore unionem & communicationem, in loco illo, in quo sunt & detinentur usque ad resurrectionem corporum, quicumque sit locus ille: Tantò enim, ut ait S. Doctor, *verius ubique est Deus, quanto nullo continetur loco*: proindeque locum illum, in quo sunt animæ iustorum usque ad resurrectionem corporum, rectè dici posse secretum Patris.

S. Bernardus ferm. 3. de omnibus Sanctis, distinguit triplicem statum animarum sanctarum: Primum, quem habent in hac vita mortali; secundum, quem habent post mortem usque ad resurrectionem corporum; tertium, quem post resurrectionem corporum habiturae sunt in æternum, & in quo Deum, ut in se est, clarè & intuitivè videbunt. *Advertistis*, inquit, *tres esse sanctarum status animarum. Primum videlicet in corpore corruptibili, secundum sine corpore, tertium in beatitudine consummata. Primum denique in tabernaculis, secundum in atriis, tertium in domo Dei... In illam beatissimam domum nec sine nobis intrahunt, nec sine corporibus suis: id est, nec sancti sine plebe, nec spiritus sine carne.* Et ferm. sequenti dicit animas sanctas ante adventum Christi fuisse in sinu Abraham, hoc est, in quodam loco obscuro quidem, sed quieto; post Christi verò adventum collocari sub altari Dei, hoc est, admitti in cælum, sed ut solius humanitatis Christi clara & intuitiva visione fruuntur, non fruturæ visione Dei, nisi post resurrectionem corporum. Porro, inquit, altare ipsum, de quo nobis habendus est sermo, ego promeo sapere, nihil aliud arbitror esse, quam corpus ipsum Domini Salvatoris... Interim ergo sub Christi humanitate feliciter sancti quiescunt... donec veniat tempus, quando jam non sub altari collocentur, sed exaltentur super altare... visione utique & contemplatione, non prala-

tionem. Ostendet enim Filius semetipsum, non in forma servi, sed in forma Dei; ostendet etiam nobis Patrem & Spiritum sanctum, sine qua nimirum visione nihil sufficeret nobis. Sensit igitur S. Bernardus animabus sanctis intuitivam Dei visionem differri usque ad finem mundi, & corporum resurrectionem. Et quod in epistola sua ad Fratres de Hybernia S. Malachiam alloquens, dicit: *Abstine tua nunc, o anima sancta, minus efficax æstimeretur oratio, quando præfenti vividius supplicare est majestati, nec jam in fide ambulas, sed in specie regnas*; contrarium non probat. Nam hoc facile intelligitur de visione humanitatis Christi, cui præfentes adiunt animæ sanctorum purgatae, juxta ea quæ ab eodem S. Doctore dicuntur ferm. 3. & 4. de omnibus Sanctis. Cum autem ferm. 19. de variis, de beatis ait: *Hoc jam tertio hauriunt aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, & nudis, ut ita dicam, oculis divinitatis intuentur essentiam, nulla corporeorum phantasmatum imaginatione decepti*; per illud additum diminuens, ut ita dicam, satis apertè significat, sic loqui, non de intuitiva visione, sed tantum de perfectissima quadam cognitione divinitatis, & qualis in hac mortali vita haberi non potest.

In hanc visionis beatificæ dilationem usque ad corporum resurrectionem, animum valde propensum ostendit Joannes XXII. sed hac de re nihil ab eo definitum suo loco demonstrabitur. Illum porro excusant multa. 1. enim in Scripturis non invenimus clarè animas purgatas statim admitti ad claram & intuitivam Dei visionem. 2. Traditio tunc temporis non erat satis explorata circa hanc materiam, propter hæitationem & disensionem Patrum inter se. 3. Ecclesia, cuius est Scripturas interpretari, & veras traditiones à falsis discernere, nondum quid de hac controversia sentiendum esset, statuerat. Potuit ergo etiam Pontifex Maximus in re adhuc incerta incertus esse, nondum adhibitis mediis Ecclesiæ & summis ejus Pontificibus à Christo præscriptis ad controversias fidei infallibiliter, ac proinde definitivè terminandas. Aliud autem sentiendum est de iis, qui sententiam Irenæi tuerentur, etiam postquam ab Ecclesia definitivè proscripta est, quique proinde tanquam hæretici rejiciendi sunt, nempe Armeni & Græci schismatici, quorum errorem amplèctitur Calvinus lib. 4. Institut. c. 20.

RESPONSIO.

Animæ Sanctorum, si in corpore, si extra corpus purgatae, absque ulla dilatione fruuntur clara & intuitiva Dei visione. Est de fide.

Prob. 1. ex Apostolo. Nam sic ait ad Philipp. cap. 1. *Coarctor autem es duobus: desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, &c.* Et 2. Cor. c. 5. *Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præfentes esse ad Dominum.* Sperabat igitur Apostolus se fore cum Christo statim post dissolutionem, & se præfentem fore ad Dominum statim post peregrinationem à corpore, & consequenter se ad claram & intuitivam visionem Dei admittendum statim post mortem, si modò nihil sibi expiandum superesset. Nam dicere quòd speraret tantum visionem humanitatis Christi, nimis violentia interpretatio est, & nullo prorsus fundamento nixa. Quare enim animabus in cælum admissis negaretur visio divinitatis, & sola concederetur visio humanitatis Christi, cum visio divinitatis sit independens à corpore, & i. a animas ad visionem divinitatis elevari extra corpus non repugnet? Alios porro textus, quia minus convincunt, de industria omitimus.

Prob. 2. ex Patribus, & 1. quidem ex S. Cypriano in lib. de exhortatione martyrii in fine, ubi hæc habet: *Quis enim non omnibus viribus elaboret ad claritatem tantam pervenire, ut amicus Dei fiat, & cum Christo statim gaudeat? Ut post tormenta & supplicia terrena, præmia divina percipiat? Si militibus secularibus gloriosum est, ut hoste devicto redeant in patriam triumphantes; quanto potior & major est, devicto diabolo, ad paradisum triumphantes redire?... cohe-*

coheredem Christi fieri, Angelis adaquare? ... Quanta est dignitas, & quanta est securitas exire hincclatrum? ... claudere in momento oculos, quibus homines videbantur & mundus, aperire eosdem statim, ut Deus videatur, & Christus? 2. S. Gregorii Nazianzeni in oratione de laudibus S. Basilii, ubi sanctum illum virum in calce sic alloquitur: Nos, posteaquam ex hac vita migraverimus, illic tabernaculis tuis exicipias, ut simul viventes, & sanctam ac beatam Trinitatem, cujus nunc exiguum speciem & imaginem accipimus, purius perfectiusque conspicientes, desiderii nostri finem statuamus. 3. S. Hieronymi v. 19. Psalmi 67. sic interpretantis: Caelorum excelsa confcendens, eos, qui in captivitate diaboli tenebantur, absolvit, ac post se tanquam captivos deductos, eterna vite restituit. At vita eterna in clara & intuitiva Dei visione consistit, juxta illud Christi Joanni. 17. Haec est autem vita eterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum. 4. S. Gregorii in lib. 35. Moralium cap. 8. ubi haec scribit: Ante resurrectionem Sancti singulas stolas accipiunt, quia sola animarum beatitudine perficiuntur: in fine autem mundi binas habituri sunt, quia cum mentis beatitudine (quae scilicet in clara & intuitiva Dei visione posita est) etiam carnis beatae gloriam possidebunt.

Prob. 3. ex Pontificibus & Conciliis. Nam 1. Benedictus Joannis XXII. successor, in Extravag. quae incipit, Benedictus Deus, & integra legitur apud Alphonsium de Castro lib. 3. adversus haeres. tit. Beatitudo, haer. 6. expresse definit, animas purgatas statim videre divinam essentiam immediate, se bene, & clare, & aperte illis ostendentem. 2. Florentinum unanimi Graecorum & Latinorum consensione in litteris sanctae unionis idem definit disertissimis verbis. Definimus, inquit, illorum (fidelium) animas, qui post baptismum susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exute corporibus, sunt purgatae, in caelum mox recipi, & intueri clare ipsum Deum trinum & unum, sicuti est. 3. Tridentinum sess. 25. tanquam certum & indubitatum supponit animas Sanctorum in caelo nunc frui visione beatifica. Nam mandat omnibus Episcopis, & ceteris docendi munus curamque sustinentibus, ut doceant fideles, Sanctos una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre & illos, qui negant Sanctos, eterna felicitate in caelo fruantes, invocandos esse impios sentire.

Prob. 4. Ratione. Quia animae impiorum continuò post mortem deruduntur in infernum, ubi patiuntur poenam damni, juxta illud Job. c. 21. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt; & illud Luc. c. 16. Mortuus est dives, & sepultus est in inferno. Ergo à fortiori animae justorum, quibus scilicet nihil purgandum superest, assumuntur in caelum, ut ibi fruatur visione Dei; cui visioni poena damni opponitur. Conseq. bona est. Nam Deus est propensior, vel saltem non minus propensus est ad premiandos justos, quam ad puniendos impios. Unde si non expectat resurrectionem corporum, ut puniat animas impiorum, quamvis non male egerint absque corpore, quare dicitur expectare resurrectionem corporum, ut premiet animas justorum, licet non bene egerint sine corpore? Parum autem adversarios juvaret dicere, animas justorum, quamvis eis visio intuitiva Dei differatur usque ad resurrectionem corporum, non esse tamen sine praemio; quia vel, ut dicit S. Bernardus, jam sunt in caelo, & vident intuitivè humanitatem Christi; vel saltem, ut alii volunt, sunt in sinu Abrahae, hoc est, in tranquillo aliquo loco, ubi jucundissimè, & omnis prorsus doloris expertes, vivunt cum Deo, à quo specialissimè amantur, protegentur, & variis donis liberalissimè afficiuntur. Hoc, inquam, parum juvat adversarios. Nam, Deo ita volente, animae impiorum nunc non solum experiuntur poenam, quae in

damnatione secundaria est, & poena sensus dicitur; sed etiam primariam, quam damni poenam vocant Doctores, & quae in privatione visionis beatificae, & dolore per hanc privationem causato consistit. Ergo animae justorum expiatae nunc non solum praemium aliquod secundarium in beatitudine, sed etiam & potissimum recipiunt primarium, quod in clara & intuitiva visione Dei, & aliis actibus hanc visionem naturali necessitate consequentibus, positum est: siquidem Deus non minus erga justos beneficus est, quam severus erga impios.

Obj. Aliquos Scripturae textus, qui assertioni nostrae videntur adversari. 1. Joannes in Apocal. cap. 6. dicit: Vidi sub altare animas intersectorum propter Verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant: & clamabant voce magna, dicentes: Usquequo, Domine, sanctus & verus, non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum? 2. Matth. cap. 20. in parabola operariorum denarius diurnus, quo merces Sanctis in caelo tribuenda significatur, non datur operariis nisi ad vespeream, qua extremum iudicium innui videtur: & c. 25. Christus electos sic in fine mundi allocutus est: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. 3. Apostolus ad Hebraeos c. 11. de Sanctis veteris Testamenti haec scribit: Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.

R. ad 1. ex eo nihil sequi pro errore opposito. Nam 1. Joannes quos sub altare viderat, vidit postea stantes ante thronum & in conspectu agni, amictos stolis albis, habentes palmas in manibus, & clamantes voce magna, Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & agno, ut dicitur cap. sequenti. 2. Animae illae, quas sub altare vidit Joannes, statim acceperunt singulae singulas stolas. Nam loco citato Apostolus continuò prosequitur: Et data sunt illis singulae stola albae, binas in resurrectione corporum, ut ait Gregorius Magnus, accepturis: Unde & distum est illis, ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum, & fratres eorum. Singulae autem stola, quas animae Sanctorum accipiunt, interpretare Gregorio Magno, significant gloriam animae, quae in clara Dei visione consistit: binae verò, quas accipient, cum numerus electorum completus erit, gloriam animae & corporis, quae corporis gloria, quam in quatuor doctibus Doctores constituunt, videlicet in immortalitate, seu impassibilitate, claritate, agilitate & subtilitate, animae gloriae addetur in resurrectione, juxta illud Apostoli 1. Cor. c. 15. Seminatur (corpus) in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spiritale; & illud ad Philipp. cap. 3. Reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae, secundum operationem, qua etiam possit subicere sibi omnia.

R. ad 2. per vespeream intelligendum esse postremum vitae diem uniuscujusque hominis privati, nisi per denarium diurnum significetur integra merces retribuenda electis; tunc enim per vespeream intelligendus erit finis mundi: quanquam, ut jam observavimus, in parabolis non circumstantiae attendi debent, sed scopus. Quod autem sit in hac operariorum parabola Christi intentum, supra explicuimus. Ex his autem Christi verbis, Percipite regnum, non magis colligi potest animas Sanctorum ante extremum; iudicium non esse in caelo, nec ibi regnare per claram Dei visionem, quam ex aliis eod. cap. Discedite à me maledicti, in ignem aeternum, potest colligi animas impiorum non esse in inferno, nec ibi regnare per clarum Dei sensum & damni cruciari. Itaque cum electis Christus dicit, Percipite regnum, vel loquetur de consummata beatitudine, vel solum intendit declarare omnibus, & confirmare sententiam prius latam in instanti mortis cuiusque electi.

R. ad 3. Quando Apostolus dicit justos, qui vel
sub

sub lege naturæ, vel sub Mosaica fuerunt, non accepisse repromissionem, aut supplendas esse has voces, ante adventum Christi, & ejus in cælos ascensionem, ut innuere videntur hæc verba, *Deo pro nobis melius aliquid providente*: nam Sancti omnes ante adventum Christi, & ejus ascensionem, in limbo fuerunt, ex quo postea à Christo educti, una cum illo ascenderunt in cælum, secundum hæc Davidis verba, ab Apostolo laudata Eph. cap. 4. *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem*: Sancti verò in lege gratiæ, ubi primum purgati omnino sunt, assumuntur in cælum, ut ibi clara divinitatis contemplatione fruantur: aut Apostolus intelligendus est de repromissione completæ & consummatæ beatitudinis, quæ præter gloriam animæ, corporis gloriam complectitur. Quam interpretationem suggerunt Apostoli verba: non enim dicit, ut non sine nobis bearentur; sed, *ut non sine nobis consummarentur*.

DISPUTATIO VI.

Hanc disputationem majoris claritatis gratia dividimus in plures questiones, in quarum prima agemus de existentia scientiæ divinæ, & ejus dotibus. In secunda, de cognitione Dei circa se ipsum, possibilia, & res aliquando existentes. In tertia, de medio in quo Deus possibilia, & res aliquando existentes cognoscit. In quarta, de cognitione Dei circa futuribilia, hoc est, ut communius dicitur, circa actus liberos creaturæ rationalis sub conditione aliqua futuros, quos, ad vitandam equivocationem, in quonon parum laborant adversarii nostri, aptius futuribiles, quam futuros vocari posse judicamus. In quinta, de scientia media, quam à scientia futuribilium diversam esse adversarii nostri contendunt. In sexta denique, de divisionibus scientiæ divinæ, & ideis divinis.

Q U Æ S T I O I.

De existentia scientiæ divinæ, & ejus dotibus.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum in Deo sit scientia, & qualis sit.

R E S P O N S I O I.

Deus habet scientiam. Est de fide.

Prob. 1. ex Script. Nam dicitur Psal. 138. *Domine, tu cognovisti omnia.* Et Esther c. 14. *Domine, qui habes omnium scientiam.* Et Rom. c. 11. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* 2. Ratione. Nam Deus non potest non habere omnes perfectiones, quæ relucent in idea entis, quo nihil melius esse & cogitari potest. Talis autem est scientia, quæ est magna perfectio, nec aliam majorem aut æqualem excludit à subjecto suo. Ergo, &c.

R E S P O N S I O II.

Scientia Dei non est habitus, neque actus à Deo realiter distinctus.

Prob. Nam si scientia Dei esset habitus, vel esset qualitas simplex, vel aggregatum ex multis speciebus certorum actuum, facilitans ad similes actus. Atqui utrumque repugnat summæ simplicitati divinæ: non enim stare potest cum reali compositione intellectus divini cum qualitate aliqua, vel congerie specierum. Propter eandem rationem scientia Dei non potest esse actus realiter distinctus à Deo, quia realis ejus unio cum intellectu divino impediret summam Dei simplicitatem. Itaque scientia Dei est ipsa Dei substantia, non simpliciter, sed cum addito, nempe Dei substantia se ipsa vitaliter tendens sic; & facilitas, quam Deus habet ad intelligendum, non est habitus realiter superadditus intellectui divino, sed est ipsemet intellectus divinus, ut habet vim intelligendi infini-

tam. Nec dic per scientiam divinam responderi, qualis sit Deus. Nam inde sequitur tantum scientiam divinam esse qualitatem metaphysicam, hoc est, esse aliquid conceptum per modum qualitatis. Quod verum est.

R E S P O N S I O III.

Scientia divina est absque omni compositione mentali.

Prob. Nam compositio mentalis consistit in eo quod intellectus distinctis & inadæquatis conceptibus apprehendat plures terminos, quorum deinde unum de altero neget vel affirmet per actum judicativum. Atqui talis compositio repugnat Deo, quia dicit actuum pluralitatem & successionem, quæ repugnant ideæ entis, quo nihil melius esse & cogitari potest; cum excludant aliquid melius, nempe modum intelligendi per unicum & simplicem intuitum. Ergo, &c.

R E S P O N S I O IV.

Scientia Dei non est discursiva. Ita S. Thom. q. 14. art. 7. in O.

Prob. Nam, ut ait S. Thomas hic, *in scientia nostra duplex est discursus: unus secundum successionem tantum, sicut cum postquam intelligimus aliquid in actu, convertimus nos ad intelligendum aliud. Alius discursus est secundum causalitatem, sicut cum per principia pervenimus in cognitionem conclusionum*; ita ut cognitio principiorum sit causa cognitionis conclusionum. Atqui neuter concursus convenit Deo. Non primus. Deus enim habet quiddam melius est, & melius est cognoscere omnia simul, quam successivè cognoscere. Præterea, cum Deus sit infinite perfectus in genere intelligentis, quia hoc manifestè pertinet ad rationem entis, quo nihil melius esse & cogitari potest, omnino completus est ad simul cognoscendum omne cognoscibile, proindeque non potest non cognoscere simul omne cognoscibile. Unde S. Augustinus lib. 15. de Trinitate c. 14. rectè ait de Patre & Filio in divinis: *Omnia, quæ sunt in eorum scientia, in eorum sapientia, in eorum essentia, unusquisque eorum simul videt, non particulatim, aut singillatim, velut alternante conspectu, hinc illuc, & inde huc, & rursus inde vel inde, in aliud atque aliud, ut aliqua videre non possit, nisi non videns alia: sed ut dixi, simul omnia videt, quorum nullum est, quod non semper videt.*

Denique ita ratiocinatur S. Thomas hic. Quæ cognoscuntur per unum medium, cognoscuntur simul. Atqui omnia, quæ cognoscit Deus, cognoscit per unum medium, nempe per suam essentiam. Ergo, &c. *Multa, inquit, quæ successivè intelligimus, si unumquodque eorum in se ipso consideretur, omnia simul intelligimus, si in aliquo uno ea intelligamus, puta si partes intelligamus in toto, vel si diversas res videamus in speculo. Deus autem omnia videt in uno, quod est ipse. Unde simul & non successivè omnia videt.*

Non etiã secundus discursus convenit Deo. Nam 1. ut ait S. Thomas hic, *secundus discursus presupponit primum, Deo repugnantem: procedentes enim à principiis ad conclusiones, non simul utrumque considerant.* 2. ut ibidem pergit S. Doctor, *discursus talis, nempe secundus, est procedentis de noto ad ignotum. Unde manifestum est, quod quando cognoscitur primum, adhuc ignoratur secundum, & sic secundum non cognoscitur in primo, sed ex primo.* Terminus verò discursus est, quando secundum videtur in primo, resolutis effectibus in causas, & tunc cessat discursus. Unde cum Deus effectus suos in se ipso videat sicut in causa, ejus cognitio non est discursiva. Ex his autem breviter argumentor. 1. Ille non discurret, qui non procedit de noto ad ignotum. Atqui Deus non procedit de noto ad ignotum: nam procedens de noto ad ignotum, aliquandiu ignorat: ignorantia autem in Deum cadere non potest, quia manifestè repugnat ideæ entis, quo nihil melius cogitari potest. Ergo, &c. 2. Ille non discurret, qui semper est in termi-